The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

VOGLER, J.P.

pH37

T3

*JOH. PHIL. VOGLER,*
MED. DOCT. et PHYS. WEILBURG.

# PHARMACA
## SELECTA,
## OBSERVATIONIBUS
### CLINICIS COMPROBATA;

DENUO EDITA
ET ADDITAMENTIS AUCTA.

AL SOCIETY OF LONDON

*WETZLARIÆ,*
APUD *PHIL. IACOB. WINKLER* SEN.
1788.

# VIRO

PER ILLUSTRI, GENEROSISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO:

# DOMINO

# FRIEDERICO LUDOVICO

# L.B. de BOTZHEIM,

SERENISSIMO PRINCIPI NASS. WEILBURGENSI A CONSILIIS SECRETIORIBUS, EIUSDEMQUE DICAST. SUPREMOR. PRÆFECTO, ORDINIS EQUESTR. ELECTORAL. PALAT. ALBI LEON. EQUITI, CORPORIS EQUESTRIS CIRC. RHEN. SUPERIORIS CONSILIARIO EQUESTR. REL.

FAUTORI ET PATRONO SUO
GRATIOSISSIMO,
MERITORUM MAGNITUDINE
INSIGNI
ET OMNI VENERATIONIS CULTU
PROSEQUENDO,

# LIBELLUM HUNC

IN PUBLICUM
GRATI DEVINCTIQUE ANIMI
DOCUMENTUM
ET CUM VOTO
SEMPITERNÆ INCOLUMITATIS
ARDENTISSIMO
DEMISSA, QUA PAR EST,
OBSERVANTIA
D. D. D.

AUCTOR.

# PRAEFAMEN.

Tantum abeſt, ut medicamentorum apparatum, iam copia magis, quam inopia laborantem, hocce libello augere et multiplicare vellem, ut de coarctanda remediorum ſuppellectile, de abiiciendis et proſcribendis pharmacis potius ſollicitus ſim.

Complura enim in Diſpenſatoriis ſic dictis pharmaceuticis, variisque libris therapeuticis ab auctoribus in praxeos adiumentum conſtituta pharmaca — modeſte fateor, et celeberrimi teſtantur medici, — non ita comparata ſunt, ut nullam amplius cenſuram incurrant, ut nihil adhuc diei poſteræ et addendum, et emendandum, et eliminandum relinquatur.

 Qua-

Quare mihi, ex quo largior medicinam faciendi ſeſe præbuit occaſio, maximopere ſemper curae cordique fuit, pharmacorum ignotas vires rimari, nondum ſatis notas ulterius ſtabilire, explorare et eruere, quæ ceteris præſtantiora ſunt et efficaciora, operoſis, longis et præter neceſſitatem pretioſis compendioſa minusque pretioſa ſubſtituere, quæ chemicis, pharmaceuticis, ſolidisque materiae medicae principiis repugnant, exactius conſtituere, atque proſcribere, quæ certis experimentis, iuſtoque ratiocinio comprobari nequeunt.

Huiuscemodi animadverſionibus debentur obſervationes et pharmaca, quæ in præſentibus pagellis ſiſtere, et in publicum emittere conatus ſum. Votum eſt, ut egregiis medicis non diſpliceant, inque ægrotantium ſalutem, et artis ſalutaris augmentum atque commodum feliciter cedant.

---

AD

# AD ALTERAM EDITIONEM.

Cum intellexerim *Pharmaca* mea *ſelecta*, retro decem annos (1777.) prima vice typis mandata, egregiis medicis iisque celeberrimis non diſplicuiſſe; diſtracta editione priore, denuo prodeunt ea, non paucis additamentis aucta. Brevitati ſtudens, pharmacorum dotes exemplis fuſius et latius oſtendere nolui; ſed ex fidis et numeroſiſſimis plerumque obſervationibus hauſta abſtractaque ſaltem adferenda duxi. Correcta, propriisque obſervationibus, tam chemico — pharmaceuticis, quam clinicis inſtructa et confirmata quædam promſi, nulli, quantum ſcio, Diſpenſatorio inſerta, et ex ſcriptis depromta, quæ nondum in manibus cujusvis Medici et Pharmaco-

poei verſantur. Nomina, pharmacis præfixa, in praxi clinica diffuſa, præſertim militari, medicis præſcribentibus laborem ſuum admodum facilitare exiſtimo. Et quoniam maior ubique pauperum copia, quam opulentorum, omnem navavi operam, ut vili pretio venalibus pharmacis illis imprimis proſim, qui alias, propter egeſtatem, ſumtuoſa ſibi comparare nequeunt. — Periti, æqui, non invidioſi rerum æſtimatores ceterum iudicent, quid præſtiterim.

Scribebam Weilburgi pridie Calendarum Ianuarii MDCCLXXXVIII.

Dr. I. P. VOGLER.

PHAR-

# PHARMACA SELECTA.

## AQUA FLORUM CASSIÆ.

℞. Florum Caſſiæ contuſorum uncias quatuor.
Spiritus Vini communis uncias ſex,
Pomacei, vel Aquæ fontanæ quantum ſufficit.

Mixta ſtent per aliquot dies, poſtea deſtillatione leni proliciantur librae octo ad duodecim Aquæ odoratæ, ſuaviſſimæ, ſapidiſſimæ, cuius ſapor, addito pauxillo Saccharo Canarino, gratior adhuc reddi poteſt. Omiſſo pomaceo et Spiritu vini obtinetur *Aqua florum Caſſiæ ſine vino* dicta.

*Flores Caſſiæ. Zimmetblüthe*, rectius *calyces florum Cinnamomi ſ. Caſſiæ Zeylanicæ* vocati, florum nondum evolutorum calyces ſunt ejusdem arboris, quæ corticem Cinnamomi fœneratur, et LINNAEO *Laurus Cinnamomum* audit. Vid. *cel.* IOH. FRID.

Cartheuseri *Diſſert. phyſico - chymico medicar. pag. 111. 112. edit. 1774.* Odore ac ſapore aemulantur, quin antecellunt corticem Cinnamomi, cui fraudatores oleum eſſentiale ſæpiſſime detrahunt. Sapori quoque florum Caſſiæ nil ſtyptici admixtum ſentitur teſte cel. Cartheusero l. c.

Aqua ſupra præſcipta locum Aquæ Cinnamomi apprime ſupplet, et non exiguo emolumento ſubſtituitur. Etenim flores Caſſiæ non modo viliori pretio emuntur, quam cortex Cinnamomi, ſed etiam largior inde aquæ copia, quæ odoris ac ſaporis ſuavitate, ut et viribus medicis Aquæ Cinnamomi omnino par, imo ſuperior exiſtit, abſtrahi poteſt. Hinc Aqua Cinnamomi hactenus officinalis et in praxi medica uſualis exulare, et vices eius Aquam florum Caſſiæ ſupplere poſſe ac debere iudico. Spiritus Vini portionem ideo adiiciendam curavi ut aqua eo melius particulas florum Caſſiæ oleoſas in ſinu ſuo retineat, nec facile dimittat.

E floribus Caſſiæ cum emolumento quoque oleum eſſentiale, Cinnamomi oleo ſimillimum, deſtillatione elici poſſe, aliorum experimentis didici

AQUA

# AQUA VEGETO—MERCURIALIS PRESSAVINI,

*Eau vegeto --- mercurielle, vegetabiliſches Mercurialwaſſer.*

℞. Mercurii præcipitati fuſci quantum libet.

In vaſe fictili coquatur et ſolvatur ſufficiente quantitate

Aceti vini communis puriſſimi optimi, nullo acido vitriolico inquinati,

atque cum

Oleo Tartari per deliquium vel cineribus clavellatis aqua ſolutis

ex aceto rurſus præcipitetur. Hunc

pulverem ſeu Mercurium præcipitatum

aqua calida ſedulo prius ablutum, deinde ſiccatum, cum

Cremoris ſeu cryſtallorum Tartari pulveratorum partibus æqualibus.

in

Aquæ communis deſtillatæ vel nivalis duodecupla quantitate

Coquatur, ſolvatur et poſtremo filtretur.

Mer-

Mercurius præcipitatus fuſcus, ſolutione ac præcipitatione ex aceto, ſolubilior in Tartari acido redditur. Cryſtalli, quæ in fundo et lateribus vitri, aquam vegeto — mercurialem continentis, ſero concreſcunt, nil niſi cremor vel cryſtalli Tartari ſuperflui ſunt.

Antivenereum hoc medicamentum, quod habet cordem uſus ac Liquor ſiphyliticus Swietenianus et ſolutio Mercurii ſublimati aquoſa, deſcriptum et immodicis præconiis ornatum legitur in libro, cui titulus: *Traité des maladies veneriennes dans lequel on indique un nouveau remede pour les guérir; par M.* PRESSAVIN, *Membre du College Royal de Chirurgie de Lyon, chez Didot, Libraire, 1773*; ſed teſtante *von Horne in der Abhandlung von den verſchiedenen Methoden, das Queckſilber in den veneriſchen Krankheiten zu gebrauchen &c. aus dem Franzœſiſchen überſezt, Leipzig 1782*, teſtantibusque experimentis a memet ipſo viſis, nequaquam iſtis præconiis dignum eſſe videtur.

Aqua enim vegeto — mercurialis, quæ eſt Mercurius tartariſatus liquidus, decomponitur a ſalibus variis, imprimis ſale culinari ejusque acido, alimentis et ſuccis primarum viarum inhærente; facultate quoque

que corroſiva non plane deſtituitur, Inde procul dubio derivandi ſunt incerti eius effectus et eventus, vomendi conatus, ipſique vomitus, fluxus et ventris tormina &c. quæ uſum eius ſecuta obſervantur.

Ob maiorem autem affinitatem cum Tartari acido vel ipſo Mercurio disiungunt Mercurium in Aqua vegeto — mercuriali non ſolum prædictum ſal culinare eiusque acidum, ſed et ferrum, pulveres aut terræ abſorbentes, ſalia alcalina, ſapones, acidum Acetoſellæ, ſacchari, Phoſphori, vitriolicum, et quævis ſalia media, unum alterumve horum acidorum adiunctum habentia.

Curam igitur habeant medici Aquam vegeto — mercurialem in praxi clinica experturi, ne eodem tempore concedant potulenta, alimenta aut medicamenta, quæ contraria illa ſalia &c. ingrediuntur. Talem circumſpectionem non exigunt *Pilulæ* meæ *alterantes*, de quorum prærogativis inferius plura dixi.

## CERATUM ALBUM.

℞. Sevi cervini vel vervecini recentis puri unc. quatuor ſemis,

Ceruſ-

Ceruſſæ optimæ ſubtiliſſime tritæ unc. unam,
Ceræ albæ ſemunciam.

Liquentur et miſceantur lege artis.

In ſanandis ambuſtis aliisque inflammationibus atque ulceribus externis Ceratum hoc ſupra linteum extenſum et ſedibus affectis bis de die impoſitum, antecellit Ceratum ſaturninum Goul. Emplaſtrum album coctum, defenſivum rubrum et reliqua ſaturnina officinalia.

Uncia eius Saponis Venet. drachmis binis, vel Gummi ammon. drachma una vel utrisque ſimul remixta, tumores et lac in mammis reſolvit atque egregie discutit.

## CLYSTER AMYLÆUS.

℞. Amyli drachm. unam aut ſcrup. quatuor.

Pauca aqua ſeorſim agitentur digito, ut amylum conglobatum diſſolvatur, quod dein

Aquæ fontan. pur. fervidæ unciis tredecim.

admisceatur. Ebulliant parum, et ope veſicæ ac fiſtulæ, vel ſyringæ, tepide in alvum iniiciantur.

In

In diarrhœis acribus, cholera, dyſenteria, clyſteres tales tres, quatuor aut plures quotidie adhibeantur.

Sauciata inteſtina obducunt atque defendunt, humores rodentes acres et bilioſos in inteſtina contractos demulcent, ſtranguriam, tenesmum et ſaeviſſima ventris tormina mitigant, frequentes ſeroſo ſpumoſas ac cruentas alvi deiectiones compescunt, ſomnum inducunt, corpus nutriunt et roborant; quos effectus, occaſione dyſenteriæ, annis nuperis per totam Germaniam epidemicæ, magna cum animi voluptate multoties obſervavi.

Subinde etiam Laudani liquidi *Sydenh.* guttæ decem — duodecim inſigni cum emolumento adverſus dyſenteriam additæ fuerunt.

## CLYSTER ANTICOLICUS.

℞. Decocti flor. Chamomillæ ſimplicis
vel Aquæ fontanæ puræ tepidæ
uncias duodecim.

Indantur veſicæ bubulæ fiſtula inſtructæ, quæ clyſteribus applicandis vulgo inſervit. Tunc addantur

Spiritus Nitri dulcis ſcrupuli duo,

in

in quibus

Olei Caieput guttæ quatuor.

fuerunt ſolutæ.

Clyſter hic in alvum immiſſus atrociſſimos dolores colicos varii generis, tuto, illico et conſtanter ſedavit apud ægrotos, quibus ſanguinis ventilationes, numeroſi clyſteres ſimplices emollientes, laxantia per epicraſin, medicamenta temperantia atque opiata prius adhibita, fere nullum vel breve levamen ſaltim adferebant.

Pari cum fructu aliquoties hominibus plebeiis pauperibusque, doloribus colicis vehementer cruciatis, Decoctum florum Chamomillæ vel meram aquam tepidam, uncia una Spiritus frumenti ſimplicis ſive aniſati remixtam, lotionis inſtar, præmiſſis tamen præmittendis et abſente calore, applicari iuſſi; ſed nonnulli, imprimis imbecilliores, crapuloſi inde facti ſunt.

## CORTEX PERUVIANUS TARTARISATUS.

1) ℞. Alchol Corticis Peruviani electi drachm. ſex,
Cryſtallorum Tartari drachmas binas.

Miſce, fiat pulvis.

2)

2) ℞. Alcoh. Cortic. Peruvian. el. unc. dimid.
Cryſtallor. Tartari pulverat. drachm. duas.
Miſce.

Optimum, certiſſimum et præſentiſſimum eſt auxilium in pertinaci alvi obſtipatione, quæ nullis medicamentis purgantibus lotionibusque cedit, ſed iis potius intenditur, et ab obſtructione glandularum in infimo ventre, inteſtinorum debilitate, aut ſpasmis, ortum ducere ſolet. Simplex et ſolitarius alvum æque ſollicitare valet *Cortex Peruvianus*, efficacius autem et certius in Cryſtallorum Tartari connubio. Mirabilem hanc efficaciam, vix ab auctoribus notatam, exemplis aliquot, breviter oſtenſurus ſum.

Vir ſexagenario maior, cui hæmorrhoides diarrhoeae inſtar fluentes, iuſto diutius aliquando interceptæ fuerunt, linguæ impotentia, ſcotomia, vertigine, ſopore, per intervalla invaditur. Accedunt continuus ac vehemens vomitus, alvique pertinax ſuppreſſio. Sanguine ex talo repetitis vicibus detracto, omnia dicta ſymptomata mitigata ſunt, et pedetentim evanuerunt, alvus vero ſuppreſſa perſtitit, et ne-

que clyſteribus, neque medicamentis purgantibus varii generis aperiri potuit. Deglutito tandem ſimplici *Cortice Peruviano* fluida reddita eſt, et in ſtatum naturalem rediit cum plenaria ægroti in ſanitatem reſtitutione.

Iuvenis viginti quatuor annorum continuis per aliquot annos, et ſæpius atrociſſimis doloribus colicis cruciatus eſt. Dolor in uno abdominis loco fixam ſedem retinebat ac perſeverabat. Aegrotus nonniſi alimenta liquida perferre potuit, et corpus eius non ſatis nutriebatur, ſed potius lente ac pedetentim conſumtum fuit. Alvus aſſiduo conſtipata erat, et vomitus quandoque urgebant. Nullis remediis proficientibus quæ a multis aliis medicis præſcripta et adhibita fuerunt, hisque de ægrotantis ſalute deſperantibus, ad me pervenit conſiliumque meum expetiit. Ego volvulum ſeu ingreſſum inteſtinorum craſſorum ſuspicans, lotiones mollientes et carminativas tres, quatuor ſimul in alvum immitendas curavi, ægrotumque cubare iuſſi, quo diutius retinerentur. Hæc curatio feliciter ſucceſſit. Affectus enim memorati actutum fuerunt dispulſi; præter alvi ſiccitatem, quæ remanſit. Hanc autem *Cortex Peruvianus* in miſcela cum Cryſtallis Tartari ſuperavit; alvumque in principio laxam; dein

dein liberam et facilem, qualis ſanis eſſe ſolet, reddidit. Obfuerunt e contrario medicamenta laxantia proprie talia.

Vir quadragenario minor, obeſus, diaetae lautae deditus et ſanguinis ventilationem artificialem negligens, hæmorrhoidibus cæcis, ſpasmis, preſſionibus, doloribus lancinantibus in infimo ventre per acceſſiones tentatur, cum vehementi flatulentia in inteſtino colo et ingenti abdominis in regione epigaſtrica inflatione. Adverſus haec mala laudabilem opem ferebant ſanguinis miſſio et ſimplex *Cortex Peruvianus*, qui, quoties eius portionem aſſumſit, toties alvum movebat, et blandiſſimi remedii laxativi effectum per aliquot dies exerebat. Notari meretur herniæ ſpecies rariſſima, quæ eidem viro incidit. Tanta erat aliquando flatulentiæ prædictæ vehementia, et abdomen eius in regione epigaſtrica adeo inflatum, ut hernia ventralis ſ. ventriculi ſubito ac inopinato exoriretur. Ab hæmorrhoidibus interceptis, molientibus, hernias oriri poſſe, quondam notarunt Brendelius atque Segnerus, Profeſſores Medicinæ Gœttingenſes celeberrimi.

Adſtrictiones alvi hypochondriacis atque hyſtericis non raro accidere, etiam familiares admodum eſſe iis, quibus hæ-

 mor-

morrhoides et catamenia non proveniunt et ſupreſſa ſunt, qui cardialgia et colica laborant, ſpaſticis affectionibus et preſſionibus in inteſtinis, flatulentia et vomitionibus, plerumque poſt aſſumta alimenta, vexari ſolent, obſervatum eſt. In hisce malis affinibus et inter, ſe alternantibus, multoties *Corticem Peruvianum*, tam ſimplicem, quam *tartariſatum*, plerumque venæſectione præmiſſa, ſummo cum fructu adhibui, et alvum eo fluidam apertamque reddidi, quam antea multa variaque medicamenta purgantia et enemata, recludere haud valebant.

Infantibus mammis inhiantibus, debilibus, gracillimis, inquietis, eiulantibus, quorum ſeceſſus nunc liquidi, viscidi, ſubvirides, nunc ſicciſſimi iuſtoque tardiores fuerunt, *Corticem Peruvianum* admodum ſalutarem comperi. Permultis vel ſimplicem, vel pauca Magneſia Nitri aut Salis amari remixtum, nonnunquam per aliquot dies, a quatuor ad ſex grana quotidie dari iuſſi. Alvum duxit remediis proprie laxantibus efficacius, præſtantius, egregie corroboravit inteſtina eorum ab alimentis conſuetis pinguibus ac glutinoſis debilitata, tormina ſedavit, atque infantes quietos, pingues, robuſtiores, floridos, avermibus, convulſionibus, exanthematibus atque exulcera-

ulcerationibus capitis et faciei, atrophia, rhachitide etc. immunes reddidit.

Petechias ſine febre dictas ſeu ſcorbuticas, *Cortice Peruviano* cum Cryſtallis Tartari iuncto, in pueris aliquoties celeriter diſſipavi.

In gravidis compluribus pertinaces alvi obſtructiones, quæ in aliis, ob venarum compreſſionem et impeditum ſanguinis reditum, hæmorrhoides cæcas moleſtiſſimas furunculis ſimiles, in fiſtulas periculoſas hectica funeſtas degenerantes, produxere, cito ac tuto ſolutæ fuerunt *Cortice Peruviano tartariſato*, et varices hæmorrhoidales imminutæ atque diſcuſſæ.

Impune quoque, poſt curatas febres intermittentes, *Corticis Peruviani* vim laxandi perferre potuerunt homines, quibus, ab erroribus diæteticis, et medicamentis purgantibus alvus commota, morbum recidivum fecit.

Et in caſibus gravioribus ac deſperatis iſtam comprobavit efficaciam. Puer ſeptem annorum ſæviſſimis ventris doloribus premitur continuis, ſub quibus interdum inteſtini portio ſpithamæ fere longitudine ex ano prodibat, quæ digitis iterum reponi debuit. Aſſumta fere omnia vomitu reii-

reiiciebat, et alvus adeo adſtricta et contracta fuit, ut nec commode fiſtulæ pro immittendis in alvum lotionibus, nec lotiones ipſæ adigi potuerint. Quare ei *Corticem tartariſatum* cum ſyrupo in electuarium redactum deglutiendum dedi, ex quo alvum fluidam et aliquale dolorum levamen ſenſit. Per ſex hebdomatas vita ita miſerrime tracta; inteſtinorum inflammatione et gangræna corripitur, qua periit. Diſſecto et aperto eius poſt mortem abdomine, ſtupendum et inauditum plane volvulum ſeu inteſtinorum invaginationem obſervavi. Nimirum inteſtinum cæcum erat introverſum, in colon ingreſſum, et cum inteſtinis tenuibus in inteſtinum rectum usque ad orificium ani deſcenſum, ubi magnam inteſtini recti ſiderati rupturam penetravit, una cum fecibus in cavitatem abdominis delatum, inde globum coactum et concretum deprehendi.

Plures huiusmodi obſervationes allegare poſſem, ſed ex hisce paucis luculenter admodum patescere arbitror, *Corticem Peruvianum* ſummum pharmacum eſſe in atrophia, rhachitide, malo hypochondriaco, hyſterico, affectibus inteſtinorum ſpasmodicis, cardialgia et colica ſanguinea, flatulentia ſpasmodica ſeu hæmorrhoidali, et aeque neceſſarium, ac ſanguinis ventilationes

tiones artificiales, balnea, enemata, interna medicamenta temporantia, reſolventia, et aperitiva; quin potiorem, ad recludendam potiſſimum diutius et pertinaciter in recenſitis morbis utplurimum occluſam alvum.

Præſtantiam hanc et efficacitatem nondum ſatis cognitam atque perſpectam eſſe, modeſte eloquor. Quantum enim ex cel. STRACKII *obſervationibus medicinalibus de colica* conſtat, laudatus vir nullum in hoc morbo *Corticem Peruvianum* ægrotis ſuis, frequentiſſime alvi obſtructionibus laborantibus, præſcripſit. GRIMMIUS in *Ephemer. german. Cent. III. p. 145. Dr.* IOH. LUDW. LEBERECHT LOESEKE *in der Abhandlung der auserleſenſten Artzeneymittel etc. p. 441.* itemque *Dn. Eq.* IOH. ANDR. MURRAY, *Med. Doct. et Profeſſ. Goetting. celeberr.* in egregio ſuo de materia medica libro haud ita pridem edito, in quo tradita experimenta et obſervationes optimorum practicorum operoſe congeſta ſunt, et cui titulus: *Apparatus medicaminum, tam ſimplicium, quam compoſitorum, in praxeos adiumentum conſideratus etc. T. 1. pag. 574.* aliqualem *Corticis Peruviani* facultatis alvum ducendi mentionem quidem fecit, verum, quod in multis caſibus potior ſit

 laxan-

laxantibus ſtricte talibus, iisque palmam eripiat, nullibi notatum legi.

In genere autem *Cortex Peruvianus (Cinchon. officinal. Linn.)*, ne ſperato ſucceſſu careat, et in ſpecie, ut vires prædicatas aperitivas ex voto praeſtet, optimæ notæ, ac talis ſit oportet, qualis ab auctoribus *Pharmacopoeae Danicae pag. 31.* deſcribitur. Venia lectorum iſtam deſcriptionem hic annectam. Sapor Corticis optimi ſit amarus cum adſtrictione aliqua, diu linguæ inhærente, inprimis vero ſapore ſuo ſpecifico mucido ſe diſtinguat. Non ſit parum ſapidus, neque ſaporis viscidi, neque impenſe ſtypticus et nauſeoſe amarus, uti occurrit in ſpecie viliori, aliarum arborum corticibus remixta, et ſubinde Aloes ſolutione imprægnata. Odor ſit paulum aromaticus, ſpecifice mucidus, quem notabilem exhibet affuſa pulveri aqua fervida. Non vero nullus ſit, neque putridus, nauſeoſus odor; quem ſpargit haud rite ſiccatus, aut in navi madefactus et corruptus Cortex. Ex gracilioribus et iunioribus arborum ramis detractus ac tenuis ſit, certe craſſitudinis mediæ, gravis tamen pro voluminis ratione. Neque lævis ſit facies externa et quaſi polita, ſed ſcabra, ſubfusca, et Lichene albo cinereo hinc inde obducta, non nigra, qui corrupti Corticis color,

color, neque pallide flava, neque læte rutilans, cuiusmodi de aliis arboribus deglubitur. Internus color ſit Cinnamomo paulo obſcurior, magisque obſoletus aut ferrugineus. Digito tentatus non tenax ſit, aut fungoſus, neque in fibras lignoſas decerpatur, aut in farinam carioſam fatiscat, ſed compactus ſit æqualiter fragilis, et ad ſolem moleculis micantibus reſplendeat. Decoctum corticis aquoſum, adhuc calidum vitro inditum, rufescat, frigefactum vero pallescat. Confer. Werlhofius et Rosenstein.

Locus hic non commode patitur, prætereaque ſupervacaneum eſt eos refellere, qui divinum et inæſtimabilem *Corticem* inter noxia atque ſuſpecta remedia temere referunt, quippe quos celeb. Trillerus *in Diſpenſator. pharmaceut. univerſal. Tom. I. p. 216. et 217.* cel. Murray *in ſuperius laudato libro p. 564.* et ſummus Werlhofius *in præſtantiſſimo de febribus opere* præſertim ſolidiſſime refutavit. Diſpar iudicium de ſalubritate ejus, cauſa obtrectationis ac ſiniſtri effectus, ſi non plane, maxime tamen in viliores ſpecies et fraudes, quæ cum illis committi ſolent coniicienda ſunt.

At enim quæ *Cortici Peruviano (Cinchon. officinal.)* ſubſtitui ſolent *Cinchona Caribæa,*

*Achras Sapota*, *Liriodendron Tulipifera*, *Quaſſia amara*, *Magnolia altiſſima*, *Swietenia Mahagoni*, *Aeſculus Hippocaſtanum*, *Fraxinus excelſior*, *Quercus Robur*, *Prunus ſpinoſa*, *Geum urbanum*, *Rhamnus Frangula*, *Malus ſylveſtris*, Salicis quædam ſpecies nominatim *Salix alba*, *fragilis*, *pentandra*, *caprea vitellina*, aliaque vegetabilia eorumque partes; quo inprimis ſpectant *glandes quercinae*, immenſis laudibus elatæ, quid? quod Cortice Peruviano ſuperiores prædicatæ, certo uſu et eventu nondum ſatis comprobata ſunt, et virtutes Corticis Peruviani mentiuntur magis, quam re ipſa præſtant. Sententiæ huic ſuffragantur *in libris modo allegatis* beat. Trillerus *Tom. I. pag. 216. 219. 220. 221.* et cel. Murray *p. 45. 47. 63. 64. 552.* aliique medici experti ac ſolertiſſimi. Novi quoque hominum exempla recentiſſima, nec pauca, qui glandum quercinarum periculum fecerunt cum ſanitatis periculo, easque adverſus varios affectus hyſtericos, hypochondriacos et hæmorrhoidales, in decocto, Coffeæ in modum parato, adhibuerunt, ex quo flatulentiam, tormina ventris et alvum vehementer ſtipatam ſenſerunt. Abſonum itaque et incongruum eſt, inventis iam frugibus, invento Cortice Peruviano, glandibus adhuc veſci. Ceterum

*Cin-*

*Cinchona floribunda*, *ſanctæ Luciæ* aliæque ſpecies noviter detectæ, viribus medicis, ſaporis judicio, recedunt a Cinchona officinali et in praxi medica hactenus uſuali, — eiusque ſuccedanea haberi nequeunt; et quod *Corticem peruvianum rubrum Hiſpanicum* attinet, in tentamine clinico exſpectationi meæ (forſan ob adulterationem?) iſte non reſpondebat.

Quædam adhuc de forma ac doſi, qua *Corticem* exhibui, dicenda ſuperſunt. Optime ſe geſſit, et primis viis non moleſtus fuit pulvis tenerrimus alcohol vocatus, quem a drachma ſemis ad ſcrupulos duos, tam ſolitarium, quam Cryſtallis Tartari permixtum, ter, quater de die adultis deglutiendum propinavi. Subſtantiam quoque ſeu pulverem aliis præparationum generibus antiſtare, experimenta chemica docent, et pulveri Corticis Peruviani poſt extractionem reſiduo copioſas ineſſe ferri particulas, cel. Model, oſtendit. Vid. *Recreations phyſiques, oeconomiques et chymiques par Mr.* Model, *ouvrage traduit de l'allemand avec des obſervations et des additions par Mr.* Parmentier, *Apoticaire maior des Invalides. A Paris 1774.*

DE-

## DECOCTUM ALBUM.

℞. Amyli drachmas duas.

Seorſim infundantur aquæ font frigidæ unciis aliquot in vaſe murrhino, et agitentur ſpatula, ut Amylum conglobatum diſſolvatur; effundantur dein in

Aquæ font. ferventis puriſſ. unc. quinquaginta;

poſt unam alteramve ebullitionem colentur et addantur

Spiritus Vitrioli acidi guttæ quadraginta vel q. ſ.

Eſt potus temporans atque demulcens gratus et præſtantiſſimus adverſus tormina, tenesmum, ſtranguriam aliaque dyſſenteriæ ſymptomata.

## DECOCTUM LAXATIVUM.

1) ℞. Florum Acaciæ,
Fol. Sennæ,
Salis Friederici ana drachm. duas,
Paſſular. minor. concis. drachm. ſex,
Aquæ font. pur. q. ſ.

Co-

Coquantur, et colentur unciæ tres aut quatuor. Pro lubitu Florum Perſic. vel Verbaſci drachma una loco Flor. Acac. recipi poteſt.

2) ℞. Mannæ Calabrinæ drachmas ſex,
Salis Anglici cathartic, vel Friderici,
Tamarindorum ana ſemunciam,
Foliorum Sennæ mundat. drachmas duas cum dimidia,
Corticum Citri ſemidrachmam,
Aquæ fontanæ puræ q. ſ.

Coquantur ſimul per aliquot minutas, colentur, et in colatura reſtent unciæ tres, quæ ab adultis tepide, ieiunoque ventriculo epotentur.

Laxans eſt antiphlogiſticum et per epicraſin, multis aliis decoctis et infuſis laxativis ab auctoribus præſcriptis atque concinnatis gratius, ut exiſtimo, ſimplicius, et minus pretioſum. Lætus eximium eius uſum expertus ſum in morbo iſto pectoris inflammatorio, qui tempore vernali anni 1775, 1776, 1777 et 1778. frequenter apud nos graſſatus eſt et magno cum horrore ingruebat, laterum dolore punctorio, vomituritionibus bilioſis, alvi obſtructione

ne &c. communiter ſtipatus erat. Subiectis hoc morbo correptis innumeris præſcriptum apozema, et quidem ſecundum, vel inferius ſequentem *Pulverem catharticum* prægreſſa ſanguinis detractione ex talo, primis ſtatim morbi diebus propinavi, eoque morbus actutum ſolutus fuit. Naturam immitatus ſum, quæ hunc currationis modum docuit. Siquidem melius ſeſe habere, et citius convalescentes obſervavi ægrotos eos, quibus diarrhoea ſponte ſuperveniebat.

## ELECTUARIUM ANTHELMINTICUM.

℞. Pulveris ſeminis Cynæ electiſſimi drachmas duas,
radic. Ialapp. drachm. unam,
Mercurii dulcis rite parati grana ſex ad ſcrupulum ſemis,
Aquæ florum Caſſiæ ſemidrachmam,
Syrupi roſati ſolutivi ſ. florum Perſicorum q. ſ.

Miſce, fiat Electuarium.

Hoc Electuarium perquam eximium eſt anthelminticum, et vix par ſibi aut ſimile habet

habet medicamentum aliud, Helminthochorto non excepto, id, quod creberrima experientia compertum habeo. Porrigatur infantibus non adeo teneribus ac pueris a vermibus vel lumbricis vexatis, abſente febre, ieiunoque aut vacuo ventriculo, altera quaque hora eius unum duove, pro ratione ætatis, cochlearia minora, qualibus ad potum Theae et Coffeae utuntur usque dum effectum laxativum produxerit, quo ſimul lumbrici exturbari ſolent. In adultis eo Fasciolam hepaticam aliquoties abegi. Poſt morbos puerorum acutos, v. c. variolas, morbillos, febrem catarrhalem &c. hocce Electuario lumbricos facilius poſſe detrudi, quin absque medicamentis, et ſponte ſæpius excludi, notavi.

## ELECTVARIUM DENTIFRICIUM.

℞. Laccæ globulatae rubrae drachmas duas,
Aluminis crudi ſcrupulos quatuor,
Radic. Iridis Florentinæ,
Biſtortæ,
Florum Caſſiæ,
Myrrhæ ana ſcrupulos binos,
Mellis deſpumati q. ſ.
Misce, fiat Electuarium.

Quo-

Quotidie vel alternis diebus dentibus et gingivis ſemel infricatum, et aqua rurſus ablutum, purgat ac firmat dentes, cariem et odontalgiam arcet, roborat gingivas, et ſcorbuto ſ. ſtomacacæ reſiſtit. Iſtas præ multis aliis ab auctoribus concinnatis et præſcriptis Electuariis Pulveribusque dentifriciis hoc Electuarium ſibi vindicat prærogativas, quod dentes non lædat, compendioſum ſit, et viliori pretio conſtet.

## ELECTUARIUM VISCERALE.

℞. Pulveris Squillæ compoſiti Stahlii,
Gummi Ammoniaci puri,
Tartari tartariſati ana drachmas duas, vel, loco Tartari tartariſati, ſic dicti Salis Friderici ſemunciam,
Nitri depurati ſcrupulos duos,
Magneſiæ Nitri optimæ ſemi drachmam,
Salis Ammoniaci purificati ſcrupulum unum,
Sulphuris Antimonii aurati grana ſex,
Aquæ florum Caſſiæ drachm. unam,
Syrupi Capilli Veneris q. ſ.
Miſce, fiat Electuarium.

Potenter reſolvit viſcerum obſtructiones et infarctus, humores pituitoſos viſcidos ſtagnantes incidit, eosque per pectus, vias urinarias, aut poros cutaneos educit. In morbis pituitoſis, apoplexia ſeroſa, aſthmate pituitoſo, et hydrope vario, eximium et raro fallacem eius uſum ſæpiſſime expertus ſum, aliisque medicamentis maxime decantatis Electuarium hoc palmam præripuit. Conf. quæ de *Mixtura diuretica* prædicantur in ſequentibus.

Spatio brevi, quandoque intra viginti quatuor horas, eo convaluerunt homines ex lapſu graviori, plures etiam de cauſis internis, affectibus ſoporoſis, urinæ et alvi ſuppreſſione, linguæ impotentia, lethargo, hemiplegia laborantes, quibus admotae cucurbitulæ: rubefacientia, veſicatoria, multaque alia medicamenta interna, diu antea adhibita, ſperatum auxilium recuſabant.

Cachexia porro pituitoſa, ictero, oedematibus, leucophlegmatia, hydrope ſcroti, et inprimis anaſarca, ex viſcerum, hæmorrhoidum et menſium obſtructione, potulentorum ſpirituoſorum abuſu etc. laborantibus quamplurimis, quibus venter per menſes et annos ita intumuit, ut propter ſpirandi difficultatem, et ſuffocationis periculum non amplius cubare, ſed continuo

 in

in ſella, aut lecto ſedere coacti fuerint, multis aliis remediis incaſſum adhibitis, et a medicis tandem relictis, continuato per aliquot hebdomadas huius Electuarii uſu, interpoſitis laxantibus, v. c. *Pulvere cathartico* infra deſcripto, morbus, nunc per largam diureſin, nunc per ſudorem, aut tranſpirationem inſenſibilem periphericam, ſolutus fuit, ſenſim detumefactus venter, ægrotique perfecte ſanati, quibus poſtea, viſcera roborandi cauſa, Corticem Peruvianum, aut Martem ſolubilem propinavi, et hisce remediis curationi finem impoſui. Capiebant ægroti ter de die, vel omni quadrihorio Electuarii drachmas duas ſ. cochleare dimidium.

In hydropis ſpeciebus inſanabilibus egregium levamen quoque attulit. Huius rei exemplum, ob cauſam morbi præſertim memorabile, hic adferre liceat. Vir ſexagenario minor, quem aqua in pectore male habebat, quoties Electuarium viſcerale ſumſit, largam inde expectorationem, cum notabili morbi ſymptomatum, inprimis aſthmatis relevationem ſenſit. Interna demum inflammatione et apoplexia extinctus fuit, eiusque corpus diſſecandi veniam impetravi, quo aperto, in cavitate thoracis aquæ carneæ circiter libras duodecim, cor ſolito maius, nullis polypis obſeſſum, aortam

autem

autem atque venam cavam monſtroſam, aſperam, duram, omnino, et fere cranii infantilis in modum oſſeam, nullisque valvulis conſpicuam, deprehendi.

Amplam eſſe huius Electuarii formulam probe ſcio verum ingredientibus conſtat inter ſe non repugnantibus. Unum alterius vim potius auget; et valet hic dictum illud: vis unita fortior.

## ELIXIR ACIDUM.

℞. Spiritus Vitrioli acidi,

Nitri dulcis partes æquales.

Misceantur.

Elixir acidum hoc gratius non ſolum, ſed et temperatius eſt, atque pluribus ægrotis conducit, quam Aqua Rabelii et Elixir acidum Halleri atque Dippelii. In his enim, quoniam ex oleo Vitrioli et alcohole vini ſimpliciter mixta ſunt, non exigue pars alcoholis vini libera et immutata manet, eaque medicamenta calida reddit; aliqua pars alcoholis vini cum acido vitriolico in ſpiritum ſulphureum ingratum et pectori inimicum abit. Quavis igitur occaſione in praxi mea clinica Elixir acidum ſupra poſitum illis prætuli et non ſine exoptato eventu ſubſtitui.

Guttæ decem — triginta unciis aliquot aquæ fontanæ puriſſimæ inſtillatæ et pro doſi hauſtæ, egregias vires exſerunt antiſpasmodicas carminativas analepticas roborantes antiputredinoſas, quas ſingulari animi cum voluptate in affectibus hypochondriacis, hyſtericis, ſpaſticis, in animi deliquiis, hæmorrhagiis ex putrida ſanguinis reſolutione, in variolis languidis et malignis, in ſumma nervorum debilitate et virium proſtratione in et poſt febres malignas nervoſas, ſaepius expertus ſum, præmiſſis evacuantibus, temperantibus aliisque neceſſariis.

Locum Spiritus Nitri dulcis in Elixir acido meo quoque explet *Spiritus Salis dulcis* methodo cl. Westrumb elaboratus, cuius deſcriptionem infra dedi.

## EMPLASTRUM EPISPASTICUM.

℞. Picis navalis,
Terebinth. commun. ana unc. unam,
Cerae flavae pur.
Pulv. Olibani ana unc. ſemis,
Gumm. ammoniac.
Galbani ana drachm. duas.

Invi-

Invicem liquentur calore debito, et, quoad fieri poteſt, ſolvantur; dein, ab igne remotis, addantur

Florum Sulphur. unc. dimid.
Pulv. Rad. Pyrethri
Gumm. Euphorbii
Sodæ Hiſpanic. ana drachm. duas;

indeque fiat Emplaſtrum.

Calorem, ruborem atque exanthemata ſedibus externis applicatum hoc Emplaſtrum excitat. Glandularum tumores exiguos in collo et mento, qui diu durant et ſine dolore ſunt, promtiſſime tutoque ſanat, eos rubefaciendo et in abſceſſus convertendo; præcipuas autem vires exſerit in reſolvendis et discutiendis tumoribus articulorum frigidis ſeroſis in cubito ac genu. Supra alutam aut linteum extenſum Emplaſtrum per aliquot dies impoſitum erat prædictis tumoribus, et rubefactis iis rurſus amotum. Una cum rubore dein ſenſim evanuere tumores ſeroſi, et repetita emplaſtri novi applicatione raro opus fuit, prout obſervationibus non paucis compertum habeo. Pauco Oleo Anthos vel Iuniperi malaſſatum dolores quoque rheumaticos ſine tumore et calore in artubus, dor-

ſo et lumbis diſſipat. Lichenibus refractariis applicatum eos exaſperat; quos autem dein *Ceratum album* impoſitum facillime curat.

Pulvis

## ~~LINCTUS~~ PECTORALIS.

℞. Specierum diaireos drachm. ſex,
Radic. Paeoniae drachm. duas,
Glycyrrhizae,
Florum Sulphuris ana drachm. unam cum dimidia,
Magneſiæ Nitri optim. drachm. unam,
Croci drachmam ſemis,
Sacchari Canarini uncias tres cum dimidia.

Misce, fiat pulvis.

Blande reſolvit atque demulcet, in raucedine, tuſſi varia, et phthiſi, egregie conducit. Utplurimum autem hunc Pulverem, pro circumſtantiarum ratione, cum antiſpasmodicis, balſamicis, roborantibus, temperantibus combinatum, ſicque ſcopo ſuo aptiorem redditum, in formulis ſequentibus præſcribere ſoleo.

LI-

# LIQUOR ANODYNUS MARTIATUS.

℞. Limaturae Martis puriſſimæ quantum libet,

Spiritus ſalis acidi tenuioris quantum ſatis.

Fiat lege artis ſolutio ſaturata, quæ filtrata, leni balnei arenae calore e retorta vitrea ad ſiccitatem abſtrahatur; igne dein aucto ſal reſiduum maxima ex parte ſublimetur. Peracta ſublimatione ſal aſcenſum e diffracta retorta eximatur et in patina vitrea ſeu murrhina loco humido v. c. in cella reponatur, ut deliquescat. Huius

Liquoris ſeu olei Martis per deliquium uncia una

cum

Naphthæ Vitrioli rite paratæ et rectificatæ unciis binis

miſceatur in vitro probe obturato, et, ſub agitatione liquorum, Naphtha Vitrioli ferri particulas oleo Martis cito abripiet, flavumque colorem induet. Ab oleo Martis, quamprimum illud fundum rurſus petiit, caute ſeparetur Naphtha ſupernatans ferri particulis foeta, eique

Spiritus Vini rectificatiſſimi partes duæ.

admiſceantur.

Par eſt famoſæ illi et arcanæ tincturæ; *Tinctura toniconervina* Bestuscheffii, *Elixir d'or de Mr. de la Motte*, *Beſtuſcheffiſche Nerventinctur*, *Lamottiſche Goldtropfen* dictæ, cuius verus olim inventor fuit Baro de Boettcher. Huius Tincturæ parandæ modum ſat operoſum et ſumtuoſum auguſtiſſima Ruſſorum imperatrix ab arcani poſſeſſoribus, antea plurimum lucri ex medicamenti venditione haurientibus, tribus millibus nummorum argenteorum, qui *Rubeln* vocantur, retro plures annos emit et publici iuris fecit.

In morbis nervorum chronicis ſine materie et febre, v. c. vertigine, ſpirandi difficultate, anxietatibus, pavoribus, animi deliquiis, aliisque affectibus hypochondriacis aut hyſtericis, nec non arthriticis virium defectu conjunctis, iam dudum celebratiſſimum fuit medicamentum; ſed eadem præconia, ſecundum experimenta clinica noviter a me inſtituta, ſibi vindicavit Tinctura minus operoſa et pretioſa, quam ſupra deſcripſi, et cuius præparationem docuit cl. Klaproth *in dem erſten Theil der von dem berühmten Herrn Profeſſor Selle zu*

*Ber-*

*Berlin 1782 herausgegebenen neuen Beytræge zur Natur- und Artzeneywiſſenſchaft S. 137.* Capiendæ guttæ decem — viginti quinque ex aqua.

Solis luci expoſita hæc Tinctura pariter alba limpidaque fit, et in umbra, ſucceſſu temporis, flavo rurſus tingitur colore priſtino.

Vidi ſal Martis citra ſublimationem, ſaltim ad ſiccitatem evaporatum, Naphthæ Vitrioli colorem flavum quoque induere; idem præſtiterunt Flores Salis ammoniaci martiales, Mars tartariſatus et Vitriolum Martis factitium. Conf. cl. Dollfus *Pharmaceutiſch - chemiſche Erfahrungen über die neuſten in der practiſchen Pharmacie gemachten Entdeckungen und Verbeſſerungen 1787. p. 42.*

## LIQUOR MUNDIFICANS.

1) ℞. Aquæ font. puriſſ. unc. octo,

Mercur. ſublimat. corroſiv. grana quindecim ad ſcrup. unum.

Miſce, fiat ſolutio.

Pro ditioribus et iis, qui delectantur odoriferis, Aqua Naphæ vel Roſarum, loco Aquae fontanæ recipiatur.

2) ℞. Rad. Lapathi acut. concis. unc. dimid.
Aquæ font. pur. q. ſ.

Fiat decoctum. In colaturæ unciis octo ſolvantur

Mercur. ſublimat. corroſiv. grana quindecim ad ſcrup. unum.

3) ℞. Florum Geniſtæ ſagittalis ſiccorum drachm. duas,
Aquæ font. pur. q. ſ.

Coquantur per aliquot minutas et colentur brodii unciæ octo, in quibus ſolvantur

Mercur. ſublimat. corroſiv. grana ſex.

Loco Florum Geniſtæ ſagittalis Gummi arabici electi ſeſquidrachma, recipi, et una cum Mercurio ſublimato in Aquæ font. vel alicuius odoratæ deſtillatæ unciis octo ſolvi poteſt.

4) ℞. Folior. Sabinæ drachm. ſex,
Rad. Calami aromat. concis. drachm. duas,
Aquæ fontan. pur. q. ſ.

Fiat decoctum ſaturatum. In colaturæ unciis octo ſolvantur

Mercur. ſublimat. corroſ. grana ſex.

Li-

Liquor primus a ſcriptoribus nonnullis recentioribus, inprimis a cel. C. L Hoffmann, *conciliario intimo et archiatro Electorali Moguntino*, in libello *vom Scharbock, von der Luſtſeuche, von Verhütung der Pocken im Angeſicht, von der Ruhr und einigen beſondern Hülfsmitteln &c. Münſter 1782.* certum et ſecurum medicamentum topicum prædicatur ad ſcabiem, tineam, lichenes aliaque exanthemata atque cutis exulcerationes pertinaces, a venerea non ſolum, ſed et alia cauſſa productas, quas laudes compluribus obſervationibus ipſe teſtificari poſſum.

Applicentur lintea madefacta vel laventur iſto loca cutisque regiones dictis vitiis obnoxiæ aliquoties de die, et poſt unam alteramve horam aqua pura vel ſaponacea tenui rurſus abluantur. Efficacius redditur decocto Rad. Lapathi acut. prout ſub no. 2. a me præſcriptus fuit. Præmittantur vel ſimul in uſum trahantur interna antimonialia, mercurialia, laxantia &c.

Etiam ſcire attinet, hos Liquores, præſertim autem primus, tam pediculos, quam cimices pellere atque necare; et a rectioris iudicii medicis ac chemicis in locum Aquæ phagedænicæ hactenus officinalis ſurrogari poſſe ac debere. In confeſſo enim eſt,

Aquam

Aquam calcis et Mercurium ſublimatum, ex quibus hæc componitur, ſeſe mutuo alterare et partes ſuas conſtitutivas disiungere.

Quandoque hi Liquores loca et partes, quibus applicati fuerunt, arrodunt, rubefaciunt et dolorem ardentem in illis procreant, quo in caſu vel lacte, vel Aqua calcis eo remixta citius ablui, dein aqua vel decocto, quocum parati ſunt, magis dilui debent.

Liquor tertius gargarizatione, attractione per nares et iniectione mediante ſiphunculo iuvat in malis ulceribus faucium, uvulæ, palati, naſi aliarumque partium; Liquor quartus, ſi oſſa ſimul vitiata et carioſa ſunt, id quod ex ieiuna ſanie, huiusque ſingulari ſapore ac fœtore, ægrotis ipſis moleſto, coniectare licet.

Flores Geniſtæ ſagittalis ſponte abundeque ubivis provenientes, pulchrum atque egregie demulcens decoctum mucilaginoſum cum aqua exhibent. Foliis Sabinæ et radicibus Calami aromatici promeritas laudes in carie tribuit cel. Hoffmann in *prædicti libelli pag. 246—251.*

LI.

## LIQUOR NITRI VOLATILIS.

℞. Spirit. Nitri ſ. Aquæ fortis puræ opt. quantum libet.

Saturetur ſucceſſive adfuſa

Spirit. Salis ammoniaci aquoſi ſufficiente quantitate.

et coletur liquor ſalinus acris, Nitrum flammans liquidum ſiſtens.

Ex ſalibus ammoniacalibus potentiſſimis eſt. Humores pituitoſos ſtagnantes reſolvit, temperat, vires diaphoreticas et diureticas præſtat. In febribus intermittentibus, hydrope, aſthmate &c. a drachma una ad duas ægrotis præſcribatur in mixturis cum aliis medicamentis congruis.

## LIQUOR STEGNOTICUS.

℞. Aquae Calcis vivae uncias duas,

Myrrhae,

Terræ Iaponicæ ana drachmam ſemis.

Miſce, fiat ſolutio, quæ colanda.

Præſentiſſimum auxilium eſt in gonorrhoea benigna ſeu ſtillicidio ſeminis continuo, vel ex immodica liquoris genitalis iactu-

iactura veniente, vel ex gonorrhoea maligna relicto, et interna medicamenta roborantia reſpuente. Mediante ſiphunculo tepide iniiciatur urethræ aliquoties de die. Lintea quadruplicata vel carpta, eo tincta et impoſita, mirum in modum ſubinde ſanant ulcera mammarum phagedænica aliaque.

## LIQUOR TARTARI SOLUBILIS.

℞. Spiritus Salis Ammoniaci aquoſi fortiſſimi q. v. Inſpergatur Cryſtallorum Tartari pulvis tener paulatim et tam diu, donec nulla amplius effervescentia oriatur. Reponatur per aliquot dies in loco calido, et ſubinde agitetur. Poſt clarum a ſedimento per filtrum ſeparetur.

Eximium eſt medicamentum antiphlogiſticum, antiputredinoſum, pectorale, reſolvens, diapnoicum, diureticum, quod, minoris pretii ſui et efficaciæ maioris cauſſa, utiliter ſubſtituitur empyreumatico calido plerumque Liquori Cornu Cervi ſuccinato, pretioſoque Spiritui Mindereri meritoque præfertur. In febribus acutis malignis, putridis, petechialibus, catarrha-

rhalibus, petechizantibus, purpura, variolis, morbillis, ſcarlatina, angina varia, pleuritide, peripneumonia, hectica, aſthmate ſicco, pituitoſo, mania, melancholia &c. inſignes vires exerit. Apte propinatur in mixturis a drachmis tribus ad ſex cum aliis medicamentis convenientibus. Sæpius cum Cortice Peruviano vel Gummi Ammoniaco iunctum utiliſſime adhibui.

Hic Liquor decomponitur ab acido Vitrioli, Nitri, Salis, ab aceto et Syrupis acidis, quæ ſcitu neceſſaria ſunt præſcribentibus. Copulam quoque reſpuit cum ſalibus metallicis terreisque. Citra alterationem autem miſcui cum ſalium mediorum ſolutionibus v. c. Salis mirabilis, Tartari vitriolati, Nitri, Salis communis &c.

Cryſtalliſatione verum dat Tartarum ſolubilem, cum Tartaro tartariſato vulgo confundi ſolitum. Sub Spiritu Salis Ammoniaci aquoſo, ad præparationem eius requiſito, eum Spiritum Salis Ammoniaci intelligo, qui ex Sale Ammoniaco, Cineribus clavellatis et Aqua communi deſtillatione paratur.

MARS

# *M*ARS SOLUBILIS NITRATUS.

℞. *M*artis tartariſati *E*dinburg. unciam unam,
Nitri depurati drachm. unam,
Sacchari Canarin. drachm. tres.

Miſce, fiat pulvis.

Temperans, reſolvens, aperitivus, roborans et antiſpasmodicus eſt, multa eiusmodi medicamenta longo poſt ſe relinquens intervallo, quod ratione et experientia ſatis ſuperque conſtat.

Alvi compreſſionem reſolvit, effectum laxativum præſtat, et hoc reſpectu Cortici Peruviano ſuppar habendum. Sanguinis immodicas fluxiones cohibet, et adverſus hæmoptyſin, vomitum cruentum hæmorrhoides veſicæ, hæmorrhagiam uteri ex ſpasmis et ſuppreſſis catameniis, feminis quadragenariis, quinquagenariis ſæpius accidente et alvi obſtructione plerumque ſtipata, præſtans remedium prophylacticum eſt. Naturales hæmorrhagias atque criticas minime ſupprimit, ſed potius promovet. Prodeſt in diabete, urinæ incontinentia. In morbis ſpaſticis ſ. convulſivis, ipſaque epi-

epilepſia ſummopere excellit, et morbos hos ſi non tollit certe imminuit. In malo hyſterico atque hypochondriaco, cardialgia et colica, flatulentia ſpasmodica, atonia genitalium ex nimia ſeminis iactura, ſumma nervorum debilitate, anxietate, pavoribus, aphonia, ſtrangulationis ſenſu, ſpirandi difficultate, vim ſuam egregiam evicit. Vermes necat, et utiliſſime praemittitur *Electuario anthelmintico* in antecedentibus praeſcripto. Viscerum et glandularum obſtructiones reſerare valet, hinc atrophicis et rhachiticis infantibus confert, et alternatim cum *Electuario viscerali* hydropicis feliciter adhibetur. Deglutiatur ab adultis omni quadrihorio drachma ſemis aut ſcrupuli duo. Cavendum vero, ne ingeratur ventriculo pleno.

Ingrediens Mars tartariſatus extat in veteri *Pharmacopoea Edinburgenſi* ſub titulo: *Mars ſolubilis ſeu Chalybs tartariſatus.* Deſcribitur etiam a Willisio, et ab auctore hoc *Ferrum potabile* vocatur. Verum ibi praeſcripta Cryſtallorum Tartari portio ferro ſolvendo non ſufficit. Quare in officinis pharmaceuticis ſequentem in modum praeparandum curo:

# MARS SOLUBILIS SEU TARTARISATUS.

℞. Limaturæ *M*artis puræ, rubiginis et Cupri ſ. Orichalci expertis part. unam,
Cryſtallorum Tartari pulverat. part. duas.

Miſceantur, aqua fervida humectentur et exſiccentur repetitis vicibus, quo ſæpius, eo melius, ut ferrum exacte reſolvatur. Maſſa tandem contundendo, per cribrum et linteum traiiciendo redigatur in pulverem tenerrimum.

Omnium ſane medicamentorum martialium præſtantiſſimum eſt, et dolendum, quod plurimas Germaniæ officinas nondum intraverit, et a medicis hactenus non frequentius in uſum vocatum fuerit. Sapor eius non ingratus eſt. Cito et penitus aqua ſolvitur, indeque cum Aqua Rubi Idaei, Ceraſorum, aut florum Caſſiæ, addito quodam ſyrupo, pulcherrima efficaciſſimaque Tinctura Martis promtiſſime et ex tempore paranda venit. Cum extra corpus iam reſolutionem ferri Tartarus peregit in Marte tartariſato, a primis viis melius iſte perferri poteſt, facilius etiam citiusque earum

earum ſuccis ſolvitur, quam Limatura Martis ſ. Chalybs præparatus, et Croci Martis officinales.

## *M*ASSA ODONTALGICA.

℞. Pulveris *M*aſtichis,
Sandaracæ ana drachmas duas,
Sanguinis Draconis optimi ſcrup. ſemis,
Opii crudi grana duo,
Olei Anthos deſtillati guttas octo,
Spiritus Cochleariæ q. ſ.
Miſce, fiat Maſſa emplaſtri conſiſtentiæ.

In odontalgia ſanguinea, arthritica, venæſectione, cucurbitulis, veſicatoriis aliisque parum vel nihil proficientibus, præcipue autem in odontalgia rheumatica, huius Maſſæ portio fabæ magnitudine ipſis gingivis admota, dolores citiſſime ac feliciſſime diſſipat.

## MERCURIUS PRÆCIPITATUS FUSCUS.

℞. Aquæ fortis optimæ quantum volueris,
Argenti vivi puriſſimi quantum ſatis.

Exponantur calori, ut fiat ſolutio ſaturata; quæ filtrata diluatur

Aquæ communis deſtillatæ vel nivalis ſufficiente quantitate.

Miscelæ huic, quæ Liquorem Bellostii conſtituit, adfundatur ſucceſſive

Olei Tartari per deliquium vel ſolutionis cinerum clavellatorum concentratioris quantitas ſufficiens.

et præcipitabitur pulvis fuscus ponderoſus in præcipitationis principio flavum colorem oſtendens, qui, repetita adfuſione et decantatione aquæ fontanæ puræ calidæ probe edulcoratus, in charta emporetica ſuper inverſum cribrum leni calore exſiccetur.

Eſt Mercurius præcipitatus Würzii, Turpethum rubrum Paracelsi. Ab acidis vegetabilibus lubenter ſolvitur, ideoque ad præparationem *Aquæ vegeto-mercurialis* Pressavini et *Pilularum* Keyseri recipitur. Cum acidis mineralibus v. c. acido vitriolico Nitri et ſalis infinite et toties effervescit, quoties inſpergitur, multumque ſedimentum luteum exhibet, eaque acida difficulter ſaturat. Mercurius nitroſus inde paratus non corroſivus, ſed mitiſſimus

eſt,

eſt, et tolerabilis ſaporis, id, quod etiam de vitriolato et ſalito valet.

## MIXTURA ANALEPTICA.

℞. Aquæ Rubi Idæi vel fontanæ puriſſimæ uncias ſex,

Elixir acidi mei drachm. unam — ſcrupul. quatuor,

Syrup. Papaveris erratici unc. ſemis.

Miſce.

Nervos roborat, vires deiectas reſuſcitat, debilem naturam reficit, putredini reſiſtit; hinc eximias iuvandi vires poſſidet in animi deliquiis et ſumma virium proſtatione nervorumque debilitate, febribus malignis ſic dictis nervoſis familiari; nec non in languente eruptione variolarum aliorumque exanthematum acutorum, quæ moderate et ſecure expellit.

Infantibus ac pueris ſufficit dimidia mixturæ pars, adultis præſcribatur integra portio, et capiant altera quaque hora cochlearia duo, illi dimidium aut integrum.

## MIXTURA ANTALGICA.

1) ℞. Aquæ florum Acaciæ vel fontan. puriſſ. unc. tres,
Nitri depurati,
Cryſtall. Tartari pulv. ana drachm. unam,
Extr. Opii vel Opii crudi grana duo,
Syrup. Papav. errat. aut violarum drachm. duas.

Miſce.

2) ℞. Aquæ Rubi Idaei vel font. puriſſ. unc. tres,
Laudani liquidi Sydenh. drachm. dimidiam,
Syr. Rub. Id. Papav. errat. aut. Violar. drachm. duas.

Miſce.

Opportune datam hancce mixturam in cardialgia et colica varia non ſolum valde proficuam ſæpiſſime deprehendi, ſed etiam partu difficili laborantibus non paucis, et quidem ſubiectis nimium irritabilibus, ſenſibilibus et ad ſpasmos pronis, iam dudum intrepide præſcripſi, ceteris paribus et præmiſſis

miſſis lotionibus mollientibus, etiam eccoproticis &c. — indeque mirabiles gratiſſimosque effectus, foetus nimirum facillimo negotio, actutum et ſponte quaſi excluſos vidi caſibus, quibus embryulcus præter neceſſitatem non raro accerſiri et magno cum gravidarum detrimento adhiberi ſolet. Conf. *Commentatio medica de univerſali nuperrime celebrato, partum levante adiunctoque recto opii uſu in graviditate, partu et puerperio, a cel.* I. C. STARCKE. *Ienæ 1781.* Porrigatur omni hora vel bihorio cochleare unum.

Summo cum fructu quoque et perquam ſecure Mixturæ ſecundae cochlearia bina lotionibus prædictis addi et in alvum dari queunt; tunc autem mixtura ore parcius ſumenda, vel hæc ingeſtio plane ſuperflua eſt.

## MIXTURA ANTIDYSENTERICA.

℞. Aquæ florum Acaciæ vel fontanæ puriſſimæ unc. quatuor,
Pulveris Rhabarbari electi drachm. dimidiam,
radic. Ipecacoanhæ grana quatuor — ſex

Specierum diatragacanthæ absque ſeminibus oleoſis paratarum ſcrup. duos — drachm. unam,
Syrupi dialtheæ vel Papaveris erratici drachm. duas.

Miſceantur.

Emetica et purgantia completa, non in refracta, ſed maiori larga ac liberali doſi adverſus dyſenteriam exhibita, omnes huius morbi moleſtias exaſperare, incoërcibilem alvi fluxum, lienteriam, hydropem et tabem plerumque relinquere ſolent, prout frequenti fidaque experientia mihi conſtitit. Hac in re mecum conſentientem habeo celeberr. Dn. C. L. Hoffmann, *Conſiliarium intimum et archiatrum Elect. Moguntinum*, quippe qui methodum in dyſenteria ſtrenue expurgandi ventrem etiam minime ſalutarem vidit, et curationem cum medicamentis lenioribus demulcentibus defenſivis prætulit (vid. *Libelli eius, occaſione Liquor. mundific. memorati pag. 289.*); itemque beatum R. A. Vogel *archiatrum et Medic. Profeſſorem Gœtting. quondam meritiſſimum*, qui in §. 324. *Prælectionum ſuarum decognoscendis et curandis præcipuis corporis humani affectibus* ſic egregie differit: Adverſus dyſenteriam vomitoria

toria et purgantia a medicis præ ceteris hodie commendantur. Ego vero diffiteri non poſſum, me multos dyſentericos in epidemia anni 1758 et 1762 ſine illis ſanaſſe, viciſſimque ab aliis vidiſſe iſta non modo perperam, ſed et pernicioſe frequentata. Intellexi tum, non poſſe non iſta nocere, ſaltem dolores præter rem augere, perinde ac ſternutatoria coryzalaborantibus ſubdita. Ut enim hæc irritant et tunicam narium magis inflammant, nec ſine dolore evacuant, nihilque prorſus levamenti præſtant; ita in dyſenteria, quum nihil aliud ſit profecto, quam impetuoſa inteſtinorum coryza, et in qua ipſa natura ſatis ſuperque iam ac immoderate evacuationem præſtat, eiusmodi ſtimulantibus rebus abſtinere, nec ullo modo violentas naturæ excretiones adaugere, multoque minus ſenſiliſſimum tunc inteſtinorum canalem, et ad concipiendam inflammationem proniſſimum, talibus irritare, conſultius duxi. Nec huius profecto inſtituti me unquam poenituit. Et quidni ſine illis pharmacis dyſenteria curari poſſit? quorum uſus apud veteres ſane fuit nullus in hoc morbo, cuius tamen medendi artem illos calluiſſe, nemo temere negabit. Obſervarunt etiam nonnulli recentiorum, tormina ab Ipecacoanha (larga doſi ſumta) mirum fuiſſe exacerbata; et

qui nullum evacuans, quod ſupra infraque ageret, aſſumſerunt, ſeſe melius habuiſſe, quam quibus illud datum fuiſſet. — Solis porro medicamentis demulcentibus anodynis et diaphoreticis curati dyſenterici leguntur in cel. Quarin *Animadverſionibus practicis in diverſos morbos. Viennæ 1786*, et alibi.

In curanda dyſenteria tanto magis ergo memores ſunto medici aphoriſmorum celeberr. Stoll, in quibus beatus vir præcipit: Cautus ſis in emeticis et purgantibus propinandis, iterandis, ne ſigna ſaburræ fallacia habeas pro veris. Continuato uſu emeticorum, purgantium, ſordes, mucus, inappetentia &c. augentur ab humorum ſalivalium, œſophagei, gaſtrici, enterici, bilioſi, aucta ſecretione ob ſtimulum, organis harum ſecretionum, excretionum, applicatum. Vid. *Aphorism. ejus de cognoſcendis et curandis febribus, aphor. 841, 842.*

Miſſis itaque, funeſtis exemplis permotus, emeticis et purgantibus ſtricte talibus ſeu completis, ab aliis ſummopere laudatis et bilioſis noſtris temporibus ſæpe ſæpius in uſum et abuſum vocatis, iam per plures annos in dyſenteria, quæ apud nos epidemica fuit, mixturam ſupra deſcriptam, Rheum et Ipecacoanham nonniſſi in refrac-

ta

ta doſi continentem, tam in principio, quam in progreſſu morbi huius diri et abominabilis, ægrotis meis longe feliciori eventu præſcripſi.

Calorem febrilem et bilem temperat, putredini reſiſtit, tranſpirationem cutaneam et ſudorem promovet, acrimoniam in inteſtina contractam involvit, ſtranguriam, ſaeva inteſtinorum tormina, ſpasmos et tenesmum pacat, ſauciata atque eroſa inteſtina obducit, muci naturalis iacturam reſarcit, alvi fluxum neutiquam ſupprimit, ſed potius moderat, adſtringentibus aut opiatis iuſto citius cohibitum adeoque reſolvit, deiectiones cruentas decolorat, et dyſenteriam in ſimplicem ſæpius diarrhoeam convertit; — ceteris paribus, ſub conveniente nimirum diæta atque regimine, vitatis ſimul cibis ac potulentis frigidis, ſpirituoſis, aromaticis, acribus, ſalſis, dulcibus, fermentescentibus &c. Conf. libellus meus: *Anzeige wohlfeiler und bewæhrter Mittel gegen die Ruhr. Wetzlar 1781 und 1783.*

In omnibus epidemiis, quas pluribus in locis per decem annos proxime elapſos mihi obſervare licuit, raro inflammatoria vel putrida, fere nunquam genuina gaſtrica et bilioſa fuit dyſenteria, ſed plerumque catarrhalis et rheumaticæ indolis. Tam ſapor

aut

aut vomitus bilioſi, quam inflammationis aut putredinis ſymptomata, ſi accedebant, accidentibus hæc potius, quam veris ac eſſentialibus morbi qualitatibus et cauſſis accenſenda erant. Urbe, qua dego, ne apud unicum quidem ægrotum quoque dyſenteria in lienteriam ſeu incoërcibilem et indolentem alvi fluxum &c. abiit; et ex innumeris dyſentericis, quos tractavi, perpaucis ſaltim morbus hic exitioſus fuit.

Quando notabili febre internisque inflammationibus ſtipata erat dyſenteria, ideoque validiora temperantia exigebat, præter ſanguinis detractiones et epiſpaſtica, blandum præprimis ſal ſedativum, ut et ſtimulans Nitrum aut ſal Friderici ſic dictum (vili pretio venale ſal mirabile nativum) in mixturis cum Vitrioli acido et ſpeciebus diatragacanthæ coniunctum, ſyrupo tamen carentibus, per utile vidi.

Addo, quod mixtura mea antidyſenterica in dyſenteria epidemica idiopathica non ſolum, verum etiam in ſpeciebus ſymptomaticis, v. c. in dyſenteria ſeu febre puerperarum, nec non in dyſenteria morbilloſa, adjecto Nitro aut ſale Fried. mirum in modum profuerit.

Capia:

Capiatur ab adultis quaque hora integrum, a tenellis ſemicochlear, prope concuſſo prius vitro.

In obducendis inteſtinis acrimonia abraſis et eroſis quid præcipui habet gummi Tragacanthum præ aliis mucilaginoſis. Quidni autem merum gummi Tragacanthum, ſpecierum loco, lubentius ad mixturam meam antidyſentericam recipiatur? hæc ſubeſt ratio: Gummi arabici, amyli et radicis liquiritiæ pulvis, particulis gummi Tragacanthi in dictis ſpeciebus interpoſitus, efficit, ut hoc facilius celeriusque in mucilaginem iuſtæ conſiſtentiæ ſolvatur.

---

Pauca quædam de dyſenteriæ diviſione adhuc ſubjungo, adverſariorum convitia ſtolidasque inſimulationes diſcuſſurus. Inſipientis eiusmodi hominis et illepidiſſimi tela retorſi in libello meo nupero: *Anmerkungen über die Ruhr und ihre Heilart &c. Wetzlar 1787.* Unius morbi plures poſſunt eſſe cauſſæ, et pro harum diverſitate morbus et curationis modus diverſus eſt. Datur igitur dyſenteria catarrhalis, rheumatica, inflammatoria, putrida, billioſa, pituitoſa, nervoſa, bilioſo — inflammatoria, bilioſo — putrida &c. Vid. cel. Selle *Me-*

*dicina clinica*, *eiusdemque Rudimenta pyretologiæ methodicæ 1786*, nec non beati Stoll *Commentatio de natura et indole dyſenteriæ in Parte tertia Rationis eius medendi in noſocomio practico Vindobonenſi 1780*, *pag. 245*, ubi dyſenteria ventris coryza, inteſtinorum catarrhus aut eorundem rheumatismus vocatur, eiusque univerſalis et eſſentialis cauſſa habetur; id quo obſervatis meis quam maxime ſemper conſentaneum fuit, et a cel. Akenside *in Tract. de dyſent. p. 13, 21.* confirmatur. Simplex eſt hæc dyſenteria; ſymptomata bilioſa, putrida inflammatoria etc. varias eius complicationes et ſpecies conſtituunt v. c. dyſenteriam rheumatico — bilioſam, rheumatico — putridam, rheumatico — inflammatoriam etc. Conf. Stoll *Commentat. Cap. II et III.* Dyſenteriæ bilioſæ eiusque varietatibus accommodata ſunt evacuantia; non reliquis. Præter alias autem dyſenterias potiſſimum dyſenteria ſimplex catarrhalis ſ. rheumatica, vulgari opinione frequentius apud nos obveniens, curari debet ſolis alterantibus, demulcentibus, anodynis, antiſpasmodicis, diaphoreticis, roborantibus v. c. Ipecacuanha in refracta doſi, Opio, mucilaginoſis &c. annuente cel. Stoll, Hoffmann, Quarin *in libris ſuperius allegatis*, Baumes *im Iournal de Med. Iuin. 1782. überſetzt im 3. St. des 7. B.*

*B. der Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch practiſcher Aertzte*, AUENBRUGGER *in Mohrenheims wieneriſchen Beitrægen zur practiſchen Artzeneykunde &c. 1783*, *et* FOTHERGILL *in den Londonſchen mediciniſchen Bemerkungen 1784 &c.* Eidem dyſenteriæ mero ſuo Laudano mederi vult SYDENHAM. Male cedunt evacuantia, adeoque eccoprotica et ſalia, teſtante VOGEL, HOFFMANN, STOLL, SELLE, BAUMES, QUARIN l. c. Aegrotos vere dyſentericos offendi quamplurimos, quibus per octo pluresque dies lingua erat non ſordida, ſapor amarus, vomitus et ſenſus moleſtiæ circa præcordia nullus, adpetitus non plane proſtratus, vires integræ, febris nulla vel perexigua, notante quoque SYDENH. et GESNERO *in ſeinen Beobachtungen &c. B. 1. C. 1.* Attamen ex his multi neglectu aut inepta pravaque medicatione v. c. per evacuantia, tandem in peius ruebant; dyſenteriam nempe graviſſimam, ſecundario putridam et inflammatoriam, lienteriam, hydropem, tabem et mortem. Ceterum lingua mucoſa et vomituritiones, ut in aliis morbis febribusque, ita et in dyſenteria, certa ſigna ſaburralia, artificiales evacuationes indicantia non præbent teſte cel. QUARIN l. c. aliisque auctoribus.

MIX-

## MIXTURA DIURETICA.

1) ℞. Aquæ fontan. puriſſ. uncias ſeptem,
Gummi ammoniac. depur. drachm. duas,
Nitri depurat. drachm. unam ſemis,
Salis ammoniac. puriſſ. opt. ſemidrachm.
Pulv. Squillæ ſimplicis ſcrup. duos,
*M*agnes. Nitri optimæ ſcrup. unum,
Sulph. Antimon. aurat. grana quinque,
Syr. dialthææ vel Capilli Veneris drachm. ſex.

Miſceantur.

2) ℞. Aquæ font. puriſſ. unc. ſeptem,
Gumm. ammon. depur.
Nitri depur. ana drachm duas,
Pulv. Squillæ ſimpl. ſcrup. binos,
Oxymell. ſimpl. drachm. ſex.

Miſceantur.

3) ℞. Aquæ font. puriſſ. unc. ſeptem,
Nitri depurat. drachm. duas,

Pulv

Pulv. Squillæ ſimpl. ſcrup. duos — drachm. unam,
Syr. Rubi Idaei vel Oxymell. ſimpl. drachm. ſex.
Miſceantur.

Iisdem ac *Electuarium viſcerale* Mixturæ hæ pollent virtutibus. Offerantur ægrotis, qui dictum Electuarium ingrati ſaporis ergo repudiant. Capiant quaque hora cochleare unum vel omni trihorio cochlearia duo, concuſſo prius vitro.

Adverſus apoplexiam et paralyſin exhibitæ hae Mixturæ plus valent ſolutione Tartari emetici, Arnicæ decocto etc. — ſanguinis detractione pro re nata ſimul in auxilium vocata; in hydrothorace et anaſarca promtius ſecurius et certius iuvant, quam Digitalis purpurea, Pilulæ Bacheri et Ianini, purgantia draſtica aliaque hic adhiberi ſolita; et in aſcite incipiente aliquoties valde proficuas vidi.

Sat exploratum nunc et cognitum habeo, primarium earum ingrediens Squillam (non toſtam, ſed leni calore ſiccatam), egregium fidum ſecurum ac certum præſtare medicamentum in affectibus rheumaticis, arthriticis, ſcorbuticis, aſthmaticis, oedematoſis, leucophlegmaticis, hydropi-

 cis,

cis, ſpasmodicis, apoplecticis, paralyticis, ſeroſis, pituitoſis, chronicis, — etiam præſente phlogoſi, modo temperantibus iunctum ſit, ſine ullo metu periculi, quin imo cum certiori ſpe venturæ ſalutis a medicis adhibendum. Veriſſime itaque Werlhofius iam dudum aſſeruit: Inter ſcorbuti antidota Squilla ex præcipuis eſt, et ſanguini eiusque ſero liberiorem fluxum conciliat, et oris vitiis medetur, et nervos liberat ſolutosque excitat, et uti inter emmenagoga, ita inter hæmorrhoidagoga eminet. — Conferantur ſimul, quæ occaſione *Electuarii viſceralis*, *Pilularum pectoralium*, *polychreſtarum et viſceralium* prolata ſunt; itemque cel. QUARIN *Animadverſiones practicæ in diverſos morbos 1786.*

Senſibilius palatum habentibus ægrotis, qui perferre quoque recuſabant ſaporem Mixturæ primæ et ſecundæ, earum loco medicamenta bina ſequentia antiballomena uno eodemque tempore præſcripſi: ℞. Aquæ font. pur. unc. VII., Nitri dep. drachm. unam. ſemis, Salis ammon. pur. ſemidrachm. Syr. Violar. dr. VI. M. — ℞. Pulv. Squill. comp. Stahl. Gumm. ammon. dep. ana dr. II, Arcan. dupl. pur. dr. unam ſemis, Magnes. Nitr. opt. Sap. Venet. vel vegeto-mineral. Gravenhorſt. ſemidrachm.

drachm. Sulph. Antim. aurat. ſcr. dimid. M. f. c. Syr. dialth. q. ſ. pilul. 200. Mixturæ cochlearia duo, Pilularum autem X—XII., ter, quater de die alternatim capi iuſſi.

## MIXTURA ECCOPROTICA.

℞. Aquæ fontanæ puræ vel florum
Acaciæ uncias tres — quatuor,
Rhabarbari electi pulverati ſcrupulos binos,
Nitri depurati ſcrup. quatuor, vel
Salis Frideric. drachm. duas,
Cryſtallor. Tartar pulv. drachm. duas,
Syrup. roſat. ſolutiv. drachm. duas — tres.

Miſce.

Feliciſſimo et exoptatiſſimo ſucceſſu mixturam hanc præbui in febribus intermittentibus; in febribus acutis tam continuis, quam remittentibus ſic dictis gaſtricis, præſertim billioſis; in ardore ventriculi, nauſea et vomitu, cardialgia et colica ſanguinea hæmorrhoidali menſtrua aliaque; in vomitu cruento, hæmorrhoidibus, cæcis atque veſicae urinariæ earumque moliminibus, tam facili, quam torpente alvo;

in epilepſia acuta ſeu ſic dicta ecclampſia; in ictero, arthritide et rheumatismo acuto; in ulceribus et exanthematibus acutis et chronicis; in cephalalgia, ophthalmia, otalgia, odontalgia; in malo hypochondriaco atque hyſterico, ventriculi atque inteſtinorum imbecillitate, alvi et urinæ ſuppreſſione, ſtranguria etc.

Sanguinis orgasmum temperat, motus febriles ſedat, mitiſſime alvum ducit, primas vias atque urinarias roborat, et a biliofis pituitoſis aliisque impuritatibus ſecurius et præſtantius aliis laxantibus liberat.

Capiant aegroti omni bihorio cochlearia bina, bene agitato prius vitro.

## MIXTURA PAREGORICA.

℞. Aquæ font. puræ unc. quatuor,
Specier. diatragacanth.
Pulv. Maſtichis elect. ana ſcrup. duos,
Rad. Ipecacoanh. grana duo,
Spirit. Vitrioli acid. ſcrup. unum.
Miſce.

Capiant adulti omni hora vel bihorio cochleare unum, infantes dimidium, probe concuſſo vel agitato prius vitro.

Acri-

Acrimoniam in inteſtina contractam involvit, diſpendium muci naturalis reſarcit et eroſa inteſtina rurſus obducit, ſpasmos, ventris fluxum et tormina, ſtranguriam et tenesmum mitigat, tranſpirationem cutaneam et ſudorem movet; hinc in diarrhoeis acribus; præſertim autem in dyſenteria catarrhali et rheumatica, præmiſſa Mixtura mea antidyſenterica, millies adhibui, plerosque ægrotos medicamento hoc illico tutoque ſanavi.

In graviori ac pertinaciori morbo Extr. Opii vel Opii crudi grana duo triave vel Laudan. liquidi Sydenh. ſcrup. duo addantur oportet.

Pro opulentioribus ceterum Aqua flor. Sambuc. aut Chamomillae, loco Aquae font. recipi poteſt.

Ingrediens Maſtix electa blande roborat, leviter adſtringit abſtergitque, et balſamicam vim poſſidet; unde in debilitate et ulceribus inteſtinorum dyſentericis tutiſſima merito pronunciatur a Degnero.

## MIXTURA SEDATIVA.

1) ℞. Aquæ florum Acaciæ,

Rubi Idaei ana uncias tres,

Aceti vulnerarii vegetabilis Dippel.
vel Aceti deſtillati ſimplicis,
Syrup. Papav. errat. ana drachm.
ſex,
Nitri depurati ſcrupulos quinque,
Pulveris granorum Chermes ſcrupulum unum,
Extracti Opii grana tria.

Miſce.

2) R. Aquæ flor. Acaciæ unc. ſex,
Nitri depur. ſcrup. quinque,
Pulv. gran. Chermes ſcrup. unum,
Opii crud. grana duo triave,
Aceti Rubi Idaei,
Syr. Papav. errat. ana drachm. ſex.

Misce.

Certiſſimum, ſecurum et exploratiſſimum medicamentum eſt in ſanguinis profluviis nimiis, hæmoptyſi, narium et uteri hæmorrhagia, a venæſectionis neglectu, ſpasmis, hæmorrhoidum et menſium ſuppreſſione et emanſione oriundis. Capiantur omni bihorio cochlearia duo. Si pauperibus præſcribitur, loco aquarum deſtillata-

latarum, Aquæ fontanæ puræ unciæ ſex recipiantur.

## OLEUM ANODYNUM.

℞. Laudan. liquidi Sydenhami ſcrup. quatuor,
Olei Olivarum albi opt. ſcrup. viginti.
Miſce, dentur in vitrum.

Oleum hoc, probe prius agitatum et panno laneo ſimul ac ſemel inſtillatum, in dyſenteria, ſtranguria, cardialgia, colica, lumbagine aliisque doloribus et affectibus ſpasmodicis, arthriticis, rheumaticis etc. externe loco dolori proximo applicatum, inſigne levamen cito tutoque adfert.

## OLEUM LAXATIVUM.

℞. Reſinæ Ialappae grana novem,
Saponis Veneti vel vegeto-mineralis Gravenhorſt. grana tria
Diligenti trituratione in mortario lapideo ſolvantur cum
Olei olivarum albi optimi uncia una cum dimidia.

Dentur in vitrum et capiant adulti omni hora aut bihorio cochleare unum, infantes dimidium, probe concuſſo prius vitro. Pro ditioribus recens oleum amygdalarum dulcium ad ſolutionem reſinæ Ialappæ recipiatur.

Prædictis oleis unguinoſis ſoluta ſic Ialappæ reſina, depoſita nunc acrimonia ſua et vi draſtica, alvum nimis ſiccam lubricat et blande ducit, quid? quod obſtipationes eius pertinaciſſimas, aliis remediis non cedentes, reſolvit, et olei Ricini magnis laudibus ætate noſtra elati, vires æquat, prout novis obſervationibus clinicis ſatis ſuperque mihi conſtitit. E foro medico itaque proſcribatur oleum dictum Ricini, quum nimis pretioſum, adulteratum ſæpiusque rancidum in officinis deprehendatur, et oleum meum laxativum e veſtigio paratum in locum ejus ſurrogetur.

Vires præſtat demulcentes antiſpasmodicas, et ſpeciatim prodeſt in paſſione iliaca ab obſtructione canalis inteſtinorum, a ſpasmis aut herniis veniente, in tuſſi acri, ſtranguria, ictero, calculo, alvi ſuppreſſione conjunctis, adverſus tæniam atque lumbricos, quos necat et pellit, inque aliis morbis oleo Ricini oppugnari ſolitis. Ventriculo minime moleſtum vidi.

Per-

Perfectam ab initio ſolutionem referens oleum meum laxativum poſt aliquod tempus quidem reſinam ſuam ad fundum dimittit, quæ vero lubentiſſime oleum ſupernatans agitatione rurſus ſubit.

## PILULÆ ALTERANTES.

℞. Succi Liquiritiæ pur. drachm. unam,
Specierum diatragacanthæ ſcrup. binos,
Mercurii ſublimati corroſivi ſcrup. dimidium.

Succus Liquiritiæ pulveriſatus et ſpecies diatragacanthæ absque ſeminibus oleoſis paratæ miſceantur ſeorſim in mortario lapideo et adfundatur dein Mercurius ſublimatus aqua pauca in alio mortario lapideo probe ſolutus. Subigantur exactiſſime indeque fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ centum, amylo adſpergendæ.

## PILULÆ MAIORES HOFFMANNI.

℞. Micæ panis triticei cum lacte parati (Milchbrodtgrumen) ſcrup. decem,
Mercurii ſublimati corroſivi ſcrupulum dimidium aqua pauca exacte ſolutum.

In mortario lapideo miſceantur et ſubigantur accuratiſſime, indeque fiant pilulæ centum, ſemine lycopodii conſpergendæ.

In variis fereque infinitis morbis ac ſymptomatibus ſiphyliticis, e. g. in hectica, hydrope et ophthalmiis, in doloribus iſchiadicis aliisque rheumaticis, arthriticis, oſteocopis, nocturnis in capite, auribus et alibi; adverſus ulcera impura cacoëthea (ſive cauſa venerea ſubſit, ſive alia), genitalia, fauces, uvulam, palatum, naſum et alias corporis ſedcs ac membra infeſtantia; adverſus glandularum et tonſilarum tumores abſceſſus fiſtulasque in ano atque perinaeo, bubones malignos, puſtulas et ulcera ſerpentia in multis cutis locis v. c. tineam, ſcabiem, lichenes, lentigines etc. mariscas, condylomata, gummata, tophos, nodos, quin et cariem in cranio aliisque oſſibus etc. — feliciſſimo et exoptatiſſimo ſucceſſu interne præſcribuntur, earumque una, duæ, tres ad quatuor, pro cuiuscunque ætatis menſura ac modulo, ter de die ingeruntur, et quaque vice unciæ aliquot lactis meri vel aqua maritati ſuperbibuntur.

Quo magis enumerata mala inveterata et refractaria ſunt, eo diutius pilularum ſupra

pra præſcriptarum uſus protrahendus eſt, et eo major earum quantitas, trecentae nimirum aut quadringentae, quandoque plures, ab ægrotis ſucceſſive deglutiendæ ſunt interpolatis aliquot laxantibus antiphlogiſticis, v. c. *Decocto meo laxativo* vel *Pulvere cathartico*, et *Cortice peruviano* ſimul in auxilium vocato.

Malum præ ceteris refractarium eſt ſæpiusque revertens ſic dicta ozæna venerea, vitiis ulceribusque faucium uvulæ et palati plerumque ſtipata; attamen repetito et continuato pilularum prædictarum uſu feliciter tandem vincitur. Luis venenum — inquit etiam ill. van SWIETEN *in Commentar. in* BOERHAVII *aphoriſmos Tom. V. et pag. 471.* — difficilius ex naſo et palato extricatur, uti omnibus in cura huius morbi verſatis notum eſt.

Lætus adhuc recordor trecentis aut quadringentis ſenſim ingeſtis pilulis hisce, quibus laxantia aliquot antiphlogiſtica pariter fuere interpoſita, incipientem non ſolum, ſed etiam fere conſummatam cataractam compluries a me discuſſam, et claram lentem cryſtallinam viſumque redditum fuiſſe.

Iucundum et efficax medicamentum quoque conſtituunt pilulæ in pulverem re-

dactæ

dactæ et cum ſaccharo albo ſimplici aut elaeoſaccharo aliquo remixtæ. Porrigendum eſt iis, qui pilulas deglutire neſciunt.

Quod autem *Pilulas* meas *alterantes* attinet, quarum compoſitionem ſupra docui, mitius ſecurius et certius iſtæ operantur, quam ſolutio Mercurii ſublimati aquoſa et ſpirituoſa ſeu ſic dictus Liquor ſiphyliticus Swietenianus, itemque Pilulæ maiores HOFMANNI ſupra quoque deſcriptæ. Succus enim Liquiritiæ et ſpecies diatragacanthae corroſivam Mercurii ſublimati qualitatem egregie obtundunt, ſolutionem eius avide imbibunt, et ita ſecum uniunt, ut in pilulis dein venenatum hoc ingrediens aequaliter diſtributum ſit; quod in mica panis Pilularum maiorum HOFFMANNI haud aeque contingit. In primarum viarum humoribus lente ſolvuntur, prout experimentis extra corpus inſtitutis didici; hinc ptyalismum perraro vel leniſſimum ſaltim, cardialgiam vero, vomitum, tormina ventris, diarrhoeam aut dejectiones alvi cruentas dyſentericas fere nunquam excitant. Præberi denique poſſunt iis, quibus ob calefaciendi, irritandi, commovendi, expandendi, coagulandi et conſtringendi facultatem ſpiritus ardens in Liquore Swieteniano alienus, et ſapor tam ſpiritus arden-

ardentis, quam Mercurii ſublimati ingratus nauſeoſus planeque intolerabilis eſt. Conf. Celeberr. Baldingeri *Magazin für Aerzte 3. B. 4. St. p. 335.*

Ceterum crebra fidaque experientia edoctus affirmo, reliqua, medicamenta et præparata mercurialia operoſa atque pretioſa, v. c, *Pilulas* Keyseri, *Aquam vegeto-mercurialem* Pressavini, *Mercurium mucilaginoſum* Plenkii rel. nil prævalere pilulis meis, hasque inſtar omnium præſcribi, quin illis præferri poſſe ac debere.

In ſanandis affectibus venereis, refractariis v. c. ozaena et faucium ulceribus, doſis pilularum mearum augenda (verum non ultra quatuor aut quinque), earumque uſus tam diu continuandus eſt, usque dum lenior ptyalismus cum aliis quibusdam in ore moleſtiis ſequatur. Angina ulceraque mercurialia inde non excitata ſunt. Nuperrimis obſervationibus haec didici, ſimulque de virtute Mercurii ſublimati emmenagoga, iam a cel. Meyer *in Commentatione de ozaena etc. 1785.* notata, me convici.

PILU-

## PILULÆ KEYSERI,

*Pilules ou Dragées de Keyſer, Keyſeriſche Queckſilberpillen, Trageen oder Zuckerkœrner.*

℞. Mercurii præcipitati fusci quantum vis.

Solvatur coquendo in vaſe fictili cum

Aceti vini deſtillati vel etiam Aceti vini communis puri optimi, nullo acido vitriolico inquinati ſufficiente quantitate.

Hæc Mercurii ſolutio aceti acido peracta, filtrata prius et evaporatione ſufficienter concentrata, miſceatur cum pulvere compoſito ex

Amyli

et

Gummi Tragacanthi electi partibus æqualibus,

indeque fiat mucilago tenuior, quæ tandem addita ſufficiente quantitate

Sacchari canarienſis pulveriſati

redi-

redigatur in maſſam, ex qua formentur trochisci ſeu pilulæ grana aliquot ponderantes.

Sic longe commodius parandæ veniunt hæ pilulæ ſiphyliticæ, quam ad modum præter neceſſitatem operoſum et ſumtuoſum, cuius deſcriptionem prolixam legimus *in der Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch practiſcher Aerzte vom Jahr 1774. St. 3, S. 152.* Supra præſcriptæ pilulæ viribus etiam non cedunt veris Keyseri pilulis, ſed eas potius antecellunt, ob Tragacanthi mucilaginem, quæ ſolutionis mercurialis acrimoniam obtundit et mitiorem reddit etc.

Sumant ægroti ab initio unicam pilulam, et in dies ſenſim aſcendant ad viginti — triginta; milleque ſæpius ab ægrotis ſingulis ſic deglutiendæ ſunt pilulæ, ad malum venereum penitus exſtirpandum.

Baſis earum eſt ſolutio Mercurii in aceto ſive ſic dictus Mercurius acetatus, cuius facultas luem veneream aliosque morbos ſanandi iam Bernardo Penoto ante centum et quod excedit annos innotuit. Conf. eius *Theatri chymici Lib. I. et pag. 654, Argentorati 1613.*

Ni-

Nimis autem liberali manu huic medicamento laudes tribuit KEYSERUS, qui noſtris temporibus ſeſe inventorem eius finxit. Longe enim poſtponendum eſt Mercurio ſublimato et inde confectis *Pilulis* meis *alterantibus* paulo ante deſcriptis, eas ob rationes, quas nunc adferam.

Facillime, quin Mercurio tartariſato ſeu Aqua vegeto — mercuriali facilius, decomponitur Mercurius acetatus Pilulas Keyſeri ingrediens a ſale culinari, quod primæ culinæ ſuccis et alimentis ineſt. Præcipitatur Mercurius ex ſolutione ſua in aceto, ſecundum recentiorum chemicorum experimenta, acido Salis, Sacchari, Acetoſellæ, Phosphori, Vitrioli, Tartari, Citri, Nitri &c. ſalibusque mediis ſalſis terreis aut metallicis, quæ unum alterumve horum acidorum continent. Præcipitatur porro ſapone, ſalibus alcalinis et terris lapidibusque abſorbentibus, nec non metallis, inprimis ferro, ob maiorem affinitatem eorum cum Mercurio vel aceto.

Caveant ergo medici, qui in praxi clinica nihilominus tentare volunt *Pilulas* KEYSERI, ne alimenta, potulenta et medicamenta ſimul præcipiant, quæ contraria illa ingredientia habent. Sed incerti atque finis-

ſiniſtri huius medicamenti effectus, v. c. ptyalismus, diarrhoea, nauſea, vomitus, cardialgia, colica &c. uſum eius plerumque ſequentes, vix ulla præcautione evitari posſunt.

Ob vim alvum et urinam ciendi, qua pollent *Pilulæ* KEYSERI, hydrope venereo laborantibus præſertim convenire videntur.

## PILULÆ PECTORALES.

1) ℞. Pulv. Squill. compos. Stahl.
Succi Liquirit. puri,
Gumm. ammon. depur. ana drachm. duas,
Magnes. Salis amar. ſemidrachm.
Sulph. Antimon. aurat. grana quindecim.

Misceantur exactiſſime, indeque cum Syr. dialth. q. ſ. fiat maſſa, ex qua formentur Pilulæ 200 ſemine Lycopodii adſpergendæ.

Ter de die VII — VIII. pilulas deglutiant adulti, infantes IV — V.

2) ℞. Pulv. Squill. comp. Stahl.
Succ. Liquirit. pur.
Gumm. ammon. depur. ana drachm. duas,
Tart. vitriolat. ſ. Arcan. dupl. puriſſ. ſesquidrachm.
*M*agnes. Salis amar. Sapon. Venet. ſ. vegeto-mineral. Gravenhorſt. ſemidrachm.
Sulph. Antimon. aurat. grana quindecim.

Miſceantur exactiſſime, indeque cum Syr. dialth. q. ſ. fiat maſſa, ex qua formandæ Pilulæ 300 conſpergendæ ſemine Lycopodii.

Ter de die pilulæ, pro diverſa ætate, VI, VIII, X, XII — XV ſumendæ ſunt.

## PILULÆ POLYCHRESTÆ.

1) ℞. Pulv. Squill. comp. Stahl.
Gumm. ammon. pur. ana drachm. duas

Extr.

Extr. Tarax. Cichor. vel Fumar. drachm. duas ſemis,

Magnes. Salis amar. drachm. ſemis,

Sulph. Antimon. aurat. grana quindecim.

Miſceantur exactiſſime, indeque cum Syr. dialth. q. ſ. fiat maſſa, ex qua formentur Pilulæ 200, adſpergendæ pulvere ſubtiliſſimo ex Cinnabaris factit. et Oſtrearum præparat. partibus æqualibus compoſito.

Ter de die capiant adulti VII—VIII. pilulas, infantes IV aut V.

2) ℞. Pulv. Squill. comp. Stahl.

Gumm. ammon. pur. ana drachm. duas,

Tart. vitriolat. vel Arcan. dupl. pur. ſesquidrachmam,

Extr. Tarax. Cichor. vel Fumar. drachm. duas ſemis,

Magnes. Salis amar. Sapon. Venet. vel vegeto-miner. Gravenh. ſemidrachm.

Sulph. Antim. aurat. grana quindecim.

Miſceantur exactiſſime, indeque cum Syr. dialth. q. ſ. fiat maſſa, ex qua formandæ Pilulæ 300, eodem pulvere conſpergendæ.

Ter de die pilulæ, pro ratione ætatis, VI, VIII, X, XII—XV deglutiantur.

*Pilulis pectoralibus* morbos pectoris pituitoſos chronicos, raucitatem, tuſſim, aſthma et phthiſin pituitoſam multoties profligavi, præmiſſa venæſectione in pede, ſi cauſſa ſanguinea ſubfuit, v. g. hæmorrhoides aut menſes ſuppreſſæ. —

*Pilulæ polychreſtæ* in variis morbis pituitoſis chronicis absque phlogoſi, et quidem in affectibus leucophlegmaticis, aedematoſis aliisque hydropicis poſt febres intermittentes et ſcarlatinas, ex nimiis evacuationibus ſeri aut ſanguinis et retropulſis exanthematicis vel ſudore ortis; in ipſis lichenibus, ſcabie et varis, tumoribus articulorum ſeroſis, febribus intermittentibus minus calidis, præprimis quartana; in ophthalmiis acribus nervorumque morbis cum materia acri pituitoſa; nec non in affectibus rheumaticis, arthriticis, paralyticis et apoplecticis, laudabilem opem tulerunt, aliisque medicamentis decantatis palmam ſæpius præripuerunt. Conf. quæ ad *Elect.* *viſce-*

*viſcerale*, *Mixt. diureticam* et *Pil. viſcerales* annotata ſunt.

Non rite ſuccedente alvi excretione ſub uſu *Pilularum* tam *pectoralium*, quam *polychreſtarum primarum*, in uſum ſimul trahenda eſt hæc Mixtura, eaque alvus movenda: ℞. Aquæ flor. Acac. ſ. fontan. puriſſ. unc. VI, Salis Frideric. unc. dimid. Nitr. depur. drachm. II, Syr. roſat. ſolutiv. ſ. Violar. drachm. VI. Misce, dentur, et capiant adulti ter de die cochlearia bina, infantes vero unum.

## PILULÆ VISCERALES.

℞. Extr. Gentian. rubr. drachm. duas ſemis,
Pulv. Squillae comp. Stahl.
Gumm. ammon. pur. ana drachm. duas,
Magnes. Nitri opt. ſemidrachm,
Sulph. Antimon. aurat. grana quindecim.

Miſceantur exactiſſime, et cum Spirit. Vini communis q. ſ. redigantur in maſſam, ex qua formentur Pilulæ 200, conſpergendæ

 ſub-

ſubtiliſſimo pulvere Boli Armenæ cum Semine Lycopodii remixtæ.

In omni fere diarrhoea habituali chronica, v. c. catarrhali, rheumatica, arthritica, hæmorrhoidali, menſtrua, hypochondriaca, hyſterica, viſcerum obſtructionibus, ſyſtematis venæ portarum vaſorumque abdominalium atonia, expanſione et infarctibus coniuncta; in lienteria poſt dyſenteriam, fluxu cœliaco, hepatico, tabe et hydrope demum funeſtis, mirifice iuvant, ubi adeo Simaruba, Chaquerilla, Quaſſia, Salicaria, Aqua calcis, martialia, Terra laponica, opiata aliaque medicamenta parum vel nullum auxilium præſtiterunt.

Adulti harum Pilularum ſeptem, infantes quatuor aut quinque ter de die deglutiant.

## PULVIS ABSTERGENS.

℞. Sacchar. canar. ſeſquidrachm.
Flor. Sulphuris,
Rad. Irid. Florent. ana drachm. unam,
Magnes. Nitri opt. ſemidrachm.
Miſce, fiat pulvis.

Oph-

Ophthalmiis acribus et ſcrophulis, lichenibus, tinea, ſcabie aliisque exanthematibus et ulceribus chronicis adfectis infantibus, infra bi -- aut trimatum conſtitutis, ſubiectisque adultis ſenſibilibus, quae Antimon. crudum ferre nequeunt, hic Pulvis conducit cultri apice bis -- ter de die cum lacte vel aqua captus, et interpolatis laxantibus.

Adiectis pro re nata granis V. Mercurii dulcis vel Sulph. Antimon. aurati efficacior redditur.

Cruſtam lacteam ſaepe certius curat, quam celebrata Viola tricolor ſeu Iacea dicta, et virtute ſuperior eſt, ita ut vix quidquam praeſtantius infantibus incruſtatis proprinari queat.

## PULVIS AËROPHORUS.

℞. Salis alcali mineralis puriſſimi optimi drachm. duas,
Cryſtallorum Tartari drachm. ſex,
Sacchari canarienſis unciam dimidiam.

Primum Cryſtalli Tartari in ſubtiliſſimum pulverem terantur, dein ſal alcali

minerale et ſaccharum terendo admiſceantur.

Pulvis hic aquæ inſperſus et agitatus bullulas cum ſibilo emittit copioſumque aërem fixum largitur; hinc aërophorus dicitur.

Reſolvit, temperat, ſanguinem et vias mictuales purgat, vires analepticas atque anthelminticas exſerit, alvum obſtructam reſolvit, ardorem ventriculi et vomitum compeſcit, putredini internisque ſuppurationibus reſiſtit, cachexiam, tuſſim perſiſtentem et phthiſin pituitoſam ſubigit, hæmorrhagias naturales provocat, ideoque in moliminibus hæmorrhoidalibus ac menſtruis conducit.

Omni quadrihorio iniiciatur eius drachma dimidia vel ſcrupuli bini vel cochleare minus, quali ad potum Theæ aut Coffeæ utimur, unciis aliquot aquæ fontanæ puriſſimæ, agitetur et cito epotetur.

Aquæ Selteranæ et Fachingenſis vices gerit, quid? quod ob largiores particulas ſalinas virtute ſuperior eſt. Commodius etiam atque eventu ſecuriori ac certiori præſcribitur ægrotis, quam medicamenta ſimilia v. c. pulvis ex magneſia ſalis amari et cryſtallis Tartari compoſitus itemque me-

medicamentum Riverii et Hulme. Vel enim iuſto citius hæc medicamenta, vel iuſto lentius et parcius aërem ſuum fixum emittunt; et debita acidorum et alcalium ea ingredientium proportio difficulter determinatur. Pulverem meum ingrediens ſal alcali minerale ſive ex ſoda Hiſpanica, ſive ex cinerum clavellatorum et ſalis communis ſolutione lege artis paratum ſit, cryſtallinum, purum, ſiccum, cum acidis probe ebulliens, et ſucceſſu temporis in pulverem album fatiſcens.

## PULVIS ANAPLEROTICUS.

℞. Oſtrear. præparat. drachm. unam,
Gumm. arabici eleſt. ſcrup. duos,
Maſtich. eleſt. ſcrup. unum.

Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Dolentes humidæ molles eroſæ excoriatæ et exulceratæ papillæ in gravidarum et puerperarum mammis exoptato ſucceſſu conſperguntur hoc Pulvere; id quod obſervationibus quamplurimis edoctus affirmo.

## PULVIS ANTACIDUS.

℞. Sacchar. canar. drachm. ſeptem,
Magnes. ſalis amar. drachm. unam.
Rad. Ipecacoanhæ grana tria ad quatuor,
Olei de Cedro vel Aniſi genuini opt. guttas ſex ad decem.

Miſce, fiat pulvis; detur in pyxidem aut vitrum probe clauſum.

Iisdem ac pulvis cardiacus gaudet virtutibus, præcipue vero, ob Magneſiæ ſalis amari connubium, ſubiectis confert, quæ de ventriculi acido conqueruntur. Feliciter porro ſubminiſtravi in ardore ventriculi, in tuſſi ferina infantum, in hæmorrhoidibus veſicæ urinariæ mucoſis, in fluore albo et gonorrhoea benigna a virulenta relicta, *Gleet*, *Nachtripper* vocata, in leucorrhoea ſic dicta arthritica, in diabete hyſterico et hypochondriaco, in ſtranguriis aliisque viarum urinariarum vitiis. Doſis drachma dimidia vel cultri apex, pro diverſa ætate maior aut minor, bis, ter, quater de die ſumenda.

# PULVIS ANTEMETICUS.

℞. Sacchar. canar. drachm. ſex,
Cryſtallor. Tartari drachm. duas,
Rad. Ipecacoanh. grana tria ad quatuor.

Miſce, fiat pulvis.

In ſpasmodica herniarum incarceratione non modo, ſed et in paſſione iliaca, ab obſtructione canalis inteſtinorum aut ſpasmis orta, mirifice ſæpius iuvat. Irritis laxantibus, clyſteribus aliisque medicamentis, hoc pulvere nuper convalescentes vidi ægrotos adultos aliquot, quos alvus pertinaciter occluſa, vomitus continui adeoque ſtercorei, ſingultus &c. citra vero herniam notabilemque febrem, male multavit. Capiebant omni hora vel bihorio drachm. dimidiam — ſcrupulos binos, usque dum prædicti vomitus atque ſingultus conticuerunt et alvus aperta fuit. Virtutes eius gratiſſimas iam cel. RICHTER *in Nov. Commentar. ſociet. Gœttingens. Tom. VI.* itemque *in der Abhandlung von den Brüchen B. 1. p. 236.* recenſuit.

PUL-

# PULVIS ANTISPASMODICUS.

1) ℞. Sacchar. canar. drachmas quinque,
Nitri depurat. drachm. duas.
Cryſtallor. Tartari drachm. unam,
Rad. Ipecacoanhæ grana tria — quatuor.

Miſce, fiat pulvis.

2) ℞. Sacch. canar. drachm. ſex,
Nitri depur. vel Arcan. duplic. puriſſ. drachm. duas,
Acidi Tartari eſſential. vel Salis Acetoſellæ genuin. gran. ſedecim,
Rad. Ipecacoanh. grana tria — quatuor.

Miſce, fiat pulvis.

Bis, ter de die, etiam omni trihorio cultri apex vel ſemidrachma et ultra, ex unciis aliquot aquæ fontanæ capta, reſolvit, temperat, ſpasmos et vomitus ſedat, atque egregie conducit in hæmorrhagiis fere

fere omnibus, v. c. in catameniis et hæmorrhoidibus ſanguineis nimium fluentibus, præſertim autem in uteri hæmorrhagia, ex ſpasmis et ſanguinis congeſtionibus internis, ex menſium emanſione et venæſectionis neglectu oriunda, feminis quadragenariis et quinquagenariis, tam gravidis quam non gravidis ſæpius accidente, nec non in ſic dicta, ſtymatoſi ſeu hæmorrhagia penis, inque variis capitis, pectoris et viſcerum abdominalium affectibus ſpasmodicis, ſanguineis, pituitoſis, tam chronicis, quam acutis v. c. in cephalæa, cephalalgia, otalgia, odontalgia, hemeralopia, nyctalopia, incipiente cataracta et amauroſi, in catarrho, tuſſi, phthiſi, aſthmate, angina, nauſea, vomitu, ſingultu, deglutitione difficili, in cardialgia, colica, ileo, herniis incarceratis, alvi obſtructione, in ictero, cachexia, chloroſi, fluore albo, arthritide, rheumatismis, tumoribus articulorum ſeroſis, melancholia, mania, eclampſia, in doloribus poſt partum, fluxu lochiorum nimio, lactis metaſtaſibus, et in plerisque febribus acutis aliisque.

Ma-

Magis alvum aperire videbatur hic pulvis, aſt minus antiſpasmodicus, ſi loco Ipecacoanhæ granum unum ſemis aut grana duo Tartari emetici addita fuerunt.

## PULVIS CARDIACUS.

℞. Sacchar. canar. drachm. quinque,
Cryſtall. Tartari drachm. tres,
Rad. Ipecac. grana tria — quatuor,
Olei de Cedro vel Menthæ Piperitidis genuini opt. guttas ſex — decem.

Miſce, fiat pulvis; detur in pyxidem aut vitrum probe obturatum.

Summo cum fructu multoties exhibui in variis affectibus ſpaſticis, hypochondriacis atque hyſtericis chronicis, virium defectu univerſali, ventriculi debilitate et flatulentia coniunctis, v. c. in cephalaea, cephalalgia, clavo hyſterico, lipothymiis, ſpirandi difficultate, cordis palpitatione, vertigine, colica &c. Pituitam primarum viarum et ſpasmos reſolvit, vomitum ſiſtit,

alvum

alvum aperit, ſanguinem in pectore et viſceribus abdominalibus eorumque vaſis accumulatum diſcutit, cardialgiam et vomitum cruentum avertit, lienem expanſum et ſyſtema venæ portarum laxum ac debilitatum liberat roboratque, artubus frigidis calorem naturalem inducit, ſudorem et tranſpirationem cutaneam reſtituit. Cultri apice bis, ter vel quater de die doſis excipitur.

## PULVIS CATHARTICUS.

℞. Pulv. Rhabarbari optimi,
rad. Ialappæ,
Nitri depurati,
Cremoris Tartari ana unciam ſemis.

Miſceantur.

Antiphlogiſticus eſt, blande et ſecure alvum ducit, bilemque in inteſtina delatam ſuperfluam eliminat. Adultis datur eius drachma una vel ſcrupuli quatuor in duas partes aequales diviſi, quarum altera ante cubiculum, altera horis matutinis

nis ingeratur. Eodem pariter cum fructu, ac *Decoctum laxativum* meum ſecundum, in memorato pectoris morbo bilioſo - inflammatorio exhibui. Ingredientium delectu, et mole praebiorum minori hunc Pulverem prae aliis ſeſe commendare autumo.

## PULVIS DENTIFRICIUS NIGER.

℞. Carbon. panis ſecalini unc. ſemis,
Rad. Irid. Florent. ſcrup. quatuor,
Arcan. dupl. drachm. unam,
Aluminis crudi,
Myrrhæ ana ſcrup. duos
Caryophyllor. aromatic. ſcrup. unum.

Miſce; fiat pulvis pauco Spiritu vini vel frumenti vel Cochleariae irrorandus. Detur in pyxidem.

## PULVIS DENTIFRICIUS RUBER.

℞. Laccæ globulatæ rubræ drachm. tres,
Rad. Irid. Florent. drachm. duas,
Boracis Venet. drachm. unam,
Alum. crud.
Myrrhæ,
Florum Caſſiæ ana ſcrup. duos.

Miſce, fiat pulvis, pauca Aqua Roſar. Naphæ aut Salviæ irrorandus. Detur in pyxidem.

Hi Pulveres dentifricii gaudent iisdem virtutibus ac *Electuarium dentifricium*; ideoque hic repetantur, quæ de iſto in antecedentibus dicta ſunt.

## PULVIS DISCUTIENS.

1) ℞. Sacchari canar. drachm. ſeptem,
Nitri depurati drachm. duas,
*M*agneſiæ ſalis amari ſemidrachmam.
Extracti Aconiti ſcrup. unum,
Sulphur. Antimonii aurati ſcrup. dimid.

Miſce, fiat pulvis.

2) ℞. Sacchar. canar. drachm. novem,
Magnes. ſalis amar. ſemidrachm.
Extr. Aconiti ſcrup. unum,
Sulph. Antimon. aurat. ſcrup. dimid.
Miſce, fiat pulvis.

3) ℞. Sacch. lactis opt. unciam unam,
Florum Sulphuris ſcrup. quatuor,
Magnes. ſalis amar.
Extr. Aconiti ana ſcrup. unum.
Miſce, fiat pulvis.

In affectibus arthriticis et rheumaticis permultis, tam internis, quam externis, eventu lætiſſimo exhibui.

Cultri apice capiant adulti omni tri — quadrihorio ſcrupulum circiter unum, ſemidrachmam — ſcrupulos binos in aquæ uncia diſſolutos.

In locum Extracti Aconiti, pondus æquale herbæ Aconiti ſiccæ et pulveratæ (ſcrupulus eius) ſurrogari poteſt, et tunc remedium habemus prophylacticum, a cl. Busch, Raboldivillæ medico, adverſus hæmoptyſin atque phthiſin celebratum.

PUL-

## PULVIS ECPHRACTICUS.

℞. Tartar. vitriolat. vel Arcan. dupl. puriſſ. unc. ſemis,
Rad. Rubiæ tinctor.
Sacch. canar. ana drachm. duas.

Miſce, fiat pulvis.

Bis — ter de die cultri apice capiendus hic Pulvis, diuturniori uſu infantibus rhachiticis et atrophicis ſumme proficuus.

## PULVIS HÆMAGOGUS.

℞. Florum Sulphuris,
Rad. Rubiæ tinctor.
Arcan. dupl. vel Nitri depur.
Sacch. canar. ana drachm. duas.

Miſce, fiat pulvis.

Feminis ac puellis, quibus ex cauſſis præternaturalibus catamenia non recte fluunt, vel plane deficiunt, et inde languorem, lumborum artuumque dolorem, phlogoſin, anarrhopiam, reſpirationem impeditam, cordis palpitationem, tuſſim, cephalalgiam, ventriculi inflationem, nauſeam, vomitus, cardialgiam, dolores coli-

cos &c. ſentiunt, feliciter abhibetur, unà cum ſanguinis miſſione ex talo, aquis ſoteriis mineralibus, pediluviis et balneis tepidis etc.

Efficacem atque ſecurum hunc Pulverem cultri apice bis, ter aut quater de die ex aqua ſufficiente capiant ægrotæ.

## PULVIS PAREGORICUS.

℞. Amyli ſcrupulos quatuor,
Maſtichis elect. ſcrup. binos,
Extr. Opii ſ. Opii crud. grana duo.
Miſce, fiat pulvis.

Eſt ſuccedaneum *Mixturæ paregoricæ opiatæ*, quo caute et opportune adhibito, aptius et præſtantius, quam Theriaca, Diaſcordio aliisque opiatis inepte compoſitis, in dyſenteria catarrhali et rheumatica, præſertim ſi morbus vel ſolito gravior et pertinacior exiſtit, vel medicamentorum congruorum neglectu, vel, prout frequenti experientia didici, purgantium uſu exaſperatus fuit, alvi deiectiones nimiæ, ægrotos complures male multantes, et lienteria, coeliaca, hydrope, tabe etc. demum fatales, coërceri poſſunt ac debent, præmiſſis aliis, v. c. *Mixtura* mea *antidyſenterica* &c.

Bis,

Bis, ter aut quater de die capiant ægroti cultri apice ſcrupulum circiter unum vel dimidium, pro cuiuscunque nempe ætatis menſura ac modulo et circumſtantiarum ratione.

## LINCTUS PECTORALIS.

℞. Spiritus Vitrioli acidi drachmam dimidiam,
Olei Amygdalarum dulcium recentis drachmas duas,
Syrupi Papaveris erratici uncias duas.
Misce.

Blande demulcens et pectorale medicamentum eſt, pulmones minime relaxans. Excellit in obſtinata tuſſi acri catarrhali ſicciore, convulſiva infantum, et ea, quæ in et poſt morbos pectoris inflammatorios ægrotos iuſto diutius tenet, aut vehementius exercet. In phthiſi, urinæque excernendæ difficultatibus multum quoque adiumenti adfert. Ingeratur ab adultis omni trihorio cochleare dimidium.

Nota. LINCTUS PECTORALIS ad p. 38 pertinet, ibique ſub nomine Linctus erronee poſita PULVERIS PECTORALIS deſcriptio, huc trahi debuit.

## PULVIS PECTORALIS ANTI-SPASMODICUS.

1) ℞. Pulv. pectoralis præcedentis ſemunciam,
Flor. Zinci rite parat.
Extracti Hyoſciami ana ſcrup. dimid.
Miſce.

In aſthmate ſpaſtico ſ. convulſivo et tuſſi ferina admodum proficuus eſt et ſingularis utilitatis.

2) ℞. Pulv. pectoralis drachm. quinque,
Nitri depur. vel Arcan. dupl. pur. drachm. unam,
Rad. Ipecac. gran tria vel Sulph. Antim. aurat. gran. ſex.
Miſce.

In tuſſi valida refractaria, aſthmate ſpaſtico pituitoſo et angina polypoſa opitulatur.

## PULVIS PECTORALIS BALSAMICUS.

1) ℞. Pulveris pectoral. drachm. tres cum dimidia,
ſeminis Aniſi ſtellati drachm. ſemis.

Miſce, vel

2) ℞. Pulveris pectoral. drachmas tres,
Salis Ammoniaci puri
ſemin. Aniſi ſtellati ana drachmam dimidiam.

Miſce.

Medetur tuſſi et raucedini absque phlogoſi, aſthmati humido frigido &c.

## PULVIS PECTORALIS ROBORANS.

℞. Pulveris pectoralis unciam ſemis,
Alcohol Cortic. Peruviani elect. drachmas binas.

Miſce.

In variis tuſſis ſpeciebus, v. c. in obſtinata tuſſi poſt morbos pectoris inflammatorios ſuperſtite, catarrhali diutius durante, phthiſin mentiente, eamque inducente, nec non in tuſſi ferina infantum ſ. convulſiva, aſthmate ſpaſtico, phthiſi pituitoſa &c, egregia eſt medela, uſu et eventu abunde comprobata. Capiatur ab adultis tertia vel quarta quaque hora drachma eius dimidia aut ſcrupuli duo, quod etiam de prioribus et ſequente tenendum eſt.

## PULVIS PECTORALIS TEMPERANS.

1) ℞. Pulveris pectoralis ſcrupulos decem,
antiſpasmodici Halenſis ſ. Nitri depurat. ſcrup. duos.
Miſce, vel

2) ℞. Pulveris pectoralis drachm. tres,
antiſpasmod. Hal. ſ. Nitri depur. ſcrup. binos,
Salis Ammoniaci puri ſcrup. unum.
Miſce.

In

In aſthmate pituitoſo, raucedine, angina varia, tuſſi, calore ſtipatis, nec non in morbis pectoris inflammatoriis, v. c. febre catarrhali, pleuritide, peripneumonia, morbillis &c. efficaciſſimum auxilium præſtat, quod uſu frequentiſſimo edoctus confiteor.

## PULVIS PURIFICANS.

℞. Antimonii crudi alcoholiſati unciam ſemis,

*M*agneſiæ Nitri optim. drachm. unam,

Sacchari Canarini drachm. quinque.

Miſce, fiat pulvis.

Reſolvit, tranſpirationem auget, acrimoniam humorum corrigit, ſanguinem purificat. Foedas faciei exulcerationes, ſcabiem, aliaque exanthemata chronica celerrime ſæpius perſanat. Adverſus achores et favos infantum ac puerorum, tineam atque lichenes, ophthalmias acres, arthritidem et ſcrophulos efficax remedium ſiſtit. Sanguinis fluxiones naturales, præſertim narium hæmorrhagiam, nec non diarrhoeam, uſum eiusſecutam, non raro obſervavi. Morſulis Antimonialibus Kunkel,

hactenus uſualibus maiori efficacia, ſecuritate, atque utilitate pollet. Illi enim nimia copia ſacchari ſcatent, pretioſiores ſunt, et ſubinde vomitus creant. Hic Pulvis autem compendioſior, minus pretioſus, leviori opera et e veſtigio parandus. Magneſia ingrediens acidum in primis viis exſtinguit, nauſeam et vomitum arcet, et particularum Antimonii extractionem iuvat. Capiantur quarta vel quinta quavis hora cochlearia aliquot minora, qualia potui Theae et Coffeæ adhibentur. Verum absque vehiculo, ſiccus et nulla prius aqua dilutus ingeratur Pulvis, ob particulas Antimonii ponderoſas et celerrime ſubſidentes. Gratiorem cupientibus pulveratorum florum Caſſiæ ſcrupulum ſemis adieci.

Vis eius purificans additis decem granis Mercurii dulcis, vis antarthritica totidem granis Extracti vel Pulveris herbæ Aconiti mirum quantum augetur.

## PULVIS SEDATIVUS.

℞. Sacch- lactis vel canar. drachm. ſex cum dimidia,

*M*agnes. ſalis amari drachm. unam,

Flo-

Florum Zinci rite parat.
Extr. Hyoscyami ana ſcrup unum.
Miſce, fiat pulvis.

In epilepſia, chorea ſancti Viti, emproſthotono, opiſthotono, tetano, ſpasmo cynico, riſu ſardonio aliisque nervorum morbis gravioribus chronicis non raro magis quam ulla medela profuit.

Omni quadrihorio præbeantur ægrotis pro diverſa ætate grana circiter V, X, XX ad XXX lacte vel aqua ſufficiente permiſta.

Quovis etiam Spiritu ſalis ammoniaci et Sale volatili oleoſo, ægrotorum naribus admoto, illico ſæpius prædictos nervorum affectus, ſed non conſtanter diſpuli.

## PULVIS STRUMALIS.

℞. Lapidum ſpongiarum,
Spongiarum marinarum uſtarum ana drachmas tres.

Miſceantur et redigantur in pulverem tenerrimum. Pro iunioribus in duodecim, pro adultis autem in novem partes æquales divi-

dividatur, et bis de die, mane nimirum ac veſperi, pars una deglutiatur horis aliquot ante paſtum et luna decreſcente. Tertia vel quarta quaque hebdomade huius pulveris uſus iterari poteſt, usque dum effectum deſideratum præſtiterit.

Longe compendioſior eſt pulvere illo ſtrumali pluribus diſpenſatoriis et officinis pharmaceuticis illato, et ab Arnoldo de Villa nova petito; frequenti experientia teſte, felicius quoque ſtrumas diſpellit, præcipue in ſubiectis iunioribus. Externe ſimul impoſitum Emplaſtrum diaſulphuris Rulandi non ſuperfluum videbatur.

Lapidum ſpongiarum vices etiam conchæ, oſtreæ, ovorum et cancrorum teſtæ ac chelæ &c. ſupplere videntur. Teſtas ovorum ſimplices non ad albedinem calcinatas, ſed inſtar Coffeæ toſtas et pulveriſatas ceu medicamentum internum diureticum et ſtrumas reſolvens extollit Cheisiol. Vid. *Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch practiſcher Aertzte, vom Jahr 1774, St. 3, S. 111.* Simplicia hæc medicamenta non modo, ſed et pulvis meus ſupra poſitus in aliis morbis ſcrophuloſis, glandularum tumoribus et articulorum ſeroſis experiri merentur.

SPE-

## SPECIES DIAPNOICÆ.

℞. Flor. Verbasci ſemunciam,

Herbæ Arnicæ drachm. duas.

Concidantur et miſceantur.

Gratum, anodynum, antiſpasmodicum, confortativum et ſudoriferum infuſum præbent cum lacte et pauco ſaccharo potandum in catarrhis, diarrhoeis et dyſenteria varia, abſente vel mitigata phlogoſi.

## SPECIES SOPIENTES.

℞. Seminis Cannabis uncias duas,

Florum Chamomillæ,

Sambuci ana unciam dimidiam.

Minutim conciſa et contuſa miſceantur.

Membris et partibus arthritide vel rheumatismo affectis tumidis et vehementer dolentibus ſacculo incluſæ et leniter calefactæ hae Species impoſitæ dolorem acerbiſſimum cito ac tuto ſopiunt.

# SPIRITUS SALIS DULCIS.

℞. Spiritus vini rectificatiſſ. uncias duodecim,

paulatim inſtillando admisceantur

Olei Vitrioli optimi unciæ tres.

Miscela hæc non amplius calida infundatur in retorta

Salis communis puri contriti unciis ſex,

et

Magneſiæ vitriariorum pulveriſatæ unciis binis,

prius commixtis.

In balneo arenæ per viginti quatuor horas digeſtis atque iuncturis vitrorum optime clauſis, igne moderato deſtillentur unciæ circiter decem — duodecim Spiritus Salis perfecte dulcificati, odoris et ſaporis gratiſſimi aromatici, nullisque particulis Magneſiæ vitriariorum inquinati, ſed ſaluberrimi, prout obſervationibus clinicis ſatis ſuperque mihi conſtitit.

Sapore et odore prædicto ſi caret ſpiritus prolectus, reſiduo denuo infundatur et abſtrahatur oportet.

Eſt ſuccedaneum Spiritus Nitri dulcis *Elixir acidum* meum ingredientis; per ſe autem medicamentum carminativum, nervinum, antiſpasmodicum, analepticum a guttis decem — quindecim ſacchari albi fruſtulo inſtillatum vel ex aqua captum.

Methodum hanc, mediante Magneſia vitriariorum dulcificandi Salis acidum, quod alias dulcificationem quam maxime reſpuit, debemus clar. Westrumb, pharmacopoeo Hameleníi ſollertiſſimo, et deſcriptam legimus *in des Herrn Bergrath Crells neuſten Entdeckungen in der Chemie Th. 4. S. 58. 1782*, item *in der Auswahl chemiſcher Entdeckungen B. 1. S. 391 — 403. 1786.* Quam ſupra propoſui, methodus eſt a cl. Dollfus emendata, et ex eius libello: *Pharmaceutiſch chemiſche Erfahrungen über die neuſten in der practiſchen Pharmacie gemachten Entdeckungen und Verbeſſerungen S. 95. 1787.* depromta.

*Magneſia vitriariorum*, Linnæo *Molybdænum Magneſia* et germanice *Braunſtein* dicta, eſt minera ponderoſa, fusca ſeu nigricans, ſplendens, ſtriis ſeu fibris ſparſis con-

convergentibus conſpicua, quandoque pulverulenta, in Germaniæ fodinis abunde proveniens. Secundum clar. Hermbstædt (*im 3ten und 4ten Stück der Crelliſchen chemiſchen Annalen vom Jahr 1787.*) tradita experimenta, peculiari terra metallica, ferro, terra ponderoſa et calcarea, nulla vero Magneſia ſalis amari conſtat. In retorta fictili igni expoſita copioſum aërem vitalem ſeu dephlogiſticatum largitur, qui phlogiſton aliorum corporum attrahendi et ſecum uniendi vim habet. Eam ob qualitatem aëri vitali propriam, in dulcificando acido Salis Magneſia vitriariorum eſt utiliſſima. Acidum enim hoc, quod in proceſſu ſupra præſcripto, ab Oleo Vitrioli ex Sale communi expulſum fuit, ſuo phlogiſto privat, et ſic ad connubium cum Alcohole vini et perfectam dulcificationem aptiſſimum reddit.

Pari modo ad Nitri acidum dulcificandum Magneſiam vitriariorum adhibuit, et Spiritum Nitri gratiorem magisque dulcificatum obtinuit cel. Crellius. Vid. *deſſelben neuſte Entdeckungen in der Chemie Th. 9. S. 3. 1783*, item *Auswahl der chemiſchen Entdeckungen B. 3. S. 1—4. 1786.*

SPI-

## SPIRITUS VITRIOLI ACIDUS.

℞. Olei Vitrioli optimi unciam unam,
Aquæ fontanæ puriſſimæ uncias quatuor.

Miſceantur in vaſe murrhino Vitrioli oleum aquæ paulatim inſtillando; frigefactis in vitro dein aſſervantur.

Eſt ſpiritus Vitrioli acidus purus fortis et bonitatis ſemper æqualis; ideoque ad uſus tam medicos quam chemicos aptior et præſtantior vulgari illo et in officinis pharmaceuticis venali ſpiritu Vitrioli, qui plerumque impurus, valde tenuis ac debilis deprehenditur.

*Elixir acidum* et *Linctum pectoralem* meum ingreditur. In ſcabie ſuppuratoria, variolis putridis et hæmorrhagiis confert ex aqua captus et ſaccharo albo vel ſyrupo quodam v. c. Papaveris erratici vel Violarum edulcoratus.

## SULPHUR ANTIMONII AURATUM.

℞. Antimonii crudi unc. quatuor,
Sulphuris commun. flav. unc. octo,
Ciner. clavellat. opt. et ſiccorum unc. ſedecim.

Pulveriſata et invicem mixta, in crucibulo tecto fundantur igne moderato, ne Sulphuris nimia pars deſtruatur. Quamprimum perfecte fuſa atque unita ſunt, effundatur materia in mortarium, contundatur craſſiuſcule et Aquæ font. fervidæ puræ q. ſ. ſolvatur. Ex ſolutione per pannum laneum colata adhuc fervida et aqua probe diluta protinus cum Spiritu Vitrioli acido, omne Sulphur Antimonii ſimul ac ſemel præcipitetur, quod aqua font. pura frigida diligenter abluendum et loco umbroſo calido in charta emporetica ſuper inverſum cribrum poſita, lente ſiccandum eſt. Liquores primi decantati evaporatione dant Tartarum vitriolatum non ſpernendum. Fuſum et in fluore conſtitutum. Hepar Sulphuris antimonialis, ſi agitetur oportet, fiſtula argillacea hauriendo Tabaci fumo inſerviente id peragatur. Adhibita ſpathula ferrea Sulphur Antimonii particulis ferri et ſordido croci Martis colore inquinat.

Commode ſic, unica duntaxat præcipitatione atque ſumtibus exiguis conficitur Sulphur Antimonii auratum pulcherrimum, largiſſimum, ſaluberrimum, quod igitur ubique civitate pharmaceutica donari, illudque parandi methodus omnibus

Diſ-

Diſpenſatoriis inſeri meretur. Primum illud elaborare docuit cl. Dr. HIRSCHING *im 6ten Band der Frænkiſchen Sammlungen vom Jahr 1761.* Poſtmodnm a cl. WIEGLEB *in der Ueberſetzung der Vogeliſchen Lehrſætze der Chymie pag. 598.* nec non *in der Stralſundiſchen Apothecker - Taxe vom Jahr 1778, in dem Allmanach oder Taſchenbuch für Scheidekünſtler und Apothecker auf das Jahr 1781*, et a cl. GOETTLING *im 2ten Theil der vom Herrn Bergrath Crell herausgegebenen neuſten Entdeckungen in der Chemie p. 14*, item *in der Auswahl chemiſcher Entdeckungen B. 1. S. 113—125. 1786*, tandemque a cl. DOLLFUS *in den pharmaceutiſch-chemiſchen Erfahrungen &c. S. 34. 1787.* deſcriptum fuit.

Sulphur commune, quod ibi addi præcipitur, Antimonio reddit particulas ſulphureas, quæ igne ablatæ fuerunt, inſervitque nudatis regulinis draſticis rurſus involvendis atque cicurandis. Quantum autem huic ſcopo ſufficiat, modo citati auctores diſſentiunt. Quantitatem ſupra retinui a cl. HIRSCHING determinatam, quum iuſtam demonſtrarunt experimenta mea clinica.

Hoc Sulphur Antimonii auratum Hirſchingianum ſiſtit pharmacum, quod irritabilitatem fibrarum excitare, humores mobiles reddere, lentas atque tenaces reſolvere, excretiones, præſertim periphericam, promovere, viscera obſtructa reſerare, ſanguinem purificare, ideoque non paucos morbos profligare valet, prout iam dudum in praxi clinica obſervavi multisque experimentis me convici. Non modo aliis medicamentis efficacibus, ſed et mero ſaccharo aut Magneſiæ Nitri adſociatum, ægrotis hydropicis, aſthmaticis, arthriticis, ſcorbuticis &c. illud præbui, quibus granum dimidium aliquoties de die ſumtum largum ſudorem, granum integrum ſalivæ profluvium et nauſeam, grana duo leniſſimos vomitus et ſubinde diarrhoeam procurarunt. Cum Sulphure itaque Antimonii aurato pluribus præcipitationibus parando atque Kermes minerali pari paſſu ambulat, iisque, ob cauſſas allatas pharmaceuticas et œconomicas ſurrogari poteſt ac debet. Pluribus etiam morbis accommodatum eſt, quam Tincturæ Antimonii officinales et celebratum Sulphur Antimonii auratum liquidum, quippe quæ præſente aut imminente calore febrili locum non habent. Similia, quin ſuperiora medicamenta ex Sulphure Antimonii aurato Hirſchin-

ſchingiano et Sapone Veneto vel Sapone vegeto - minerali Gravenhorſtiano, Soda Hisſpanica depurata ſive Sale alcali minerali, Tinctura lixivia mea &c. longe facilius et e veſtigio componi queunt.

Quodcunque Sulphur Antimonii auratum, adeoque Antimonium crudum, in medicamentis compoſitis acidis iunctum, nauſeam facile et vomitus excitat haud raro vehementes. Iidem effectus obſervantur, ſi abundante primarum viarum acido ſumitur. Optime igitur confert copula eius cum abſorbentibus et antacidis v. c. Sapone, Magneſia Nitri vel Salis amari; et ratio nunc perſpicitur, ex qua *Electuarium meum viſcerale*, *Mixturam diureticam*, *Pilulas pectorales*, *polychreſtas*, *viſcerales* et *Pulverem diſcutientem* Magneſia ingreditur.

Ceterum notatu dignum eſt, ſubiecta quandoque obvenire adeo ſenſibilia aut irritabilia, ut minutiſſimas etiam doſes Sulphuris Antimoni aliorumque emeticorum ferre nequeant, ſed hypercatharſes inde ſentiant. —

Hic mentio ſimul facienda eſt *alius Sulphuris Antimonii aurati* correcti, illudque parandi methodus deſcribenda.

℞. Cinerum clavellat. puriſſ. unc. quindecim.

Solvantur in

Aquæ font. puræ menſuris tribus;

dein

Calcis vivæ unc. viginti

in vaſe victili

Aquæ font. puræ tribus menſuris

itidem infundantur; et ſimulac Calx fatiſcere et calefieri incipit, ſine mora Cinerum clavellat. ſolutio admiſceatur, miſcela ſæpius agitetur, et tandem clarum a ſedimento per decantationem ſeparetur. Huius

Lixivii cauſtici menſuris tribus

iniiciantur, prius ſubtiliſſime tritæ et inter ſe mixtæ

Sulphuris comm. flavi unciæ tres,

Antimonii crudi unciæ duæ.

Coquantur ad quartæ partis lixivii conſumtionem, ſolvantur, et ex ſolutione filtrata aqua ſufficienter diluta cum

Spirit. Vitrioli acidi q. ſ.

ſimul ac ſemel omne Sulphur Antimonii præcipitetur, quod, Aqua font. pura probe

be ablutum, in umbra leni calore ſiccetur. Relictæ forſan poſt decoctionem Antimonii ac Sulphuris particulæ nondum ſolutæ, lixivio cauſtico reſiduo ſolvendæ ſunt, ſolutio cum priori confundenda et una cum illa præcipitationi ſubiicienda.

A cl. GOETTLING *in dem 2ten Theil der Crelliſchen neuſten Entdeckungen in der Chemie pag. 38; im Allmanach oder Taſchenbuch für Scheidekünſtler und Apothecker auf das Jahr 1782;* itemque *in des Herrn Bergrath Crells Auswahl chemiſcher Entdeckungen B. 1. S. 125—139, 1786.* traditum hoc Sulphur Antimonii auratum via humida ſ. coctione parandum, colore quidem ſuperbo gaudet aurantio, et cum præcedente Hirſchingiano via ſicca conficiendo viribus medicis, iuxta obſervationes meas, plane convenit. Quod autem præparationem eius attinet, eam, ob lixivii cauſtici elaborationem, Antimonii crudi alcoholiſationem et nimiam acidi vitriolici quantitatem ad præcipitationem huius Sulphuris neceſſariam, tam operoſam, quam ſumtuoſam, ideoque methodo Hirſchingianae poſtponendam eſſe iudico.

# TINCTURA LIXIVIA.

℞. Radicum Gentianæ rubr. unc. ſex,
Corticum Aurantiorum ſiccorum et conciſorum unc. duas,
Cinerum clavellatorum optimor. unc. quindecim.

Infundantur

Aquæ font. pur. fervidæ unciis quadraginta;

in vaſe fictili clauſo per nycthemeron aut diutius digeſtis, addantur

Spiritus Vini rectificati unc. duas;

Colentur, exprimantur et filtrentur.

Vires poſſidet antacidas reſolventes et purificantes longe certiores et præſtantiores, quam Tincturæ antimoniales aliæque alcalinæ ſpirituoſæ officinales, quæ etiam calidiores et pretioſiores ſunt, nullisque vel pauciſſimis tantum particulis antimonialibus et ſalinis præditæ.

Egregie conducit in morbis cutaneis chronicis una cum *Pulvere* meo *abſtergente* et

et *purificante*, quorum efficaciam auget, in uſum vocata, et bis vel ter de die a gutis viginti ad ſexaginta ex ſufficiente aqua capta. Cum fructu quoque in atrophia, glandulis tumidis obſtructisque, articulorum tumoribus ſeroſis, in tuſſi ferina, gonorrhoea, ſtranguria, arthritide ſine febre, ſæpius exhibui.

## TINCTURA VULNERARIA.

℞. Spiritus Vini vel Frumenti, modice per abſtractionem et ſine Alcali dephlegmati uncias octo,
Terrae Iaponicæ drachm. duas,
*Myrrhæ* pulveratæ drachm. ſex.

Miſceantur, digerantur, et colentur.

Vulnerum et ulcerum conſolidationem accelerat, egregie reſiſtendo ſuppurationi nimiæ, perſæpe curationem retardanti. Non cedit aliis Balſamis vulnerariis ſpirituoſis officinalibus, et hoc præ illis habet præcipuum, quod ſimplicior et minus pretioſa ſit.

# UNGUENTUM PSORICUM.

℞. Axungiæ porcinæ recentis et lotæ unc. tres ſemis,
Florum Sulphuris,
Vitrioli albi pulverat. ana drachm. duas,
Olei Bergamott genuini guttas viginti.
Miſce.

Bis vel ter de die huius unguenti quantitas nucis avellanæ genubus et volis manuum inungatur adverſus ſcabiem variam, quam certo tutoque ſanat, præmiſſis vel ſimul in auxilium vocatis *Pulvere* meo *abſtergente, purificante, Tinctura lixivia*, laxantibus balneisque. Etiam tineæ capitis atque lichenibus illitum in caſibus aliquot laudabilem opem tulit.

Coincidit cum unguento Iasseri in beati Schmuckeri *ſcriptis chirurgicis* tradito; differt autem ab hoc, quod gratum odorem et meliorem conſiſtentiam habeat, ideoque commodius applicari poſſit.

TA-

# TABULA PHARMACORUM.


| | pag. |
|---|---|
| Aqua florum Caſſiæ | 9 |
| — vegeto-mercurialis Pressavin. | 11 |
| Ceratum album | 13 |
| Clyſter amylaeus | 14 |
| — anticolicus | 15 |
| Cortex peruvianus tartariſatus | 16 |
| Decoctnm album | 28 |
| — laxativum | ibidem |
| Electuarium anthelminticum | 30 |
| — dentifricium | 31 |
| — viscerale | 32 |
| Elixir acidum | 35 |
| Emplaſtrum epiſpasticum | 36 |
| Linctus pectoralis | 101 |
| Liquor anodynus martiatus | 39 |
| — mundificans | 41 |


Li-

pag.
Liquor Nitri volatilis 45
— ſtegnoticus ibidem
— Tartari ſolubilis 46
Mars ſolubilis nitratus 48
— — ſeu tartariſatus 50
Maſſa odontalgica 51
Mercurius præcipitatus fuſcus ibidem
Mixtura analeptica 53
— antalgica 54
— antidyſenterica 55
— diuretica 64
— eccoprotica 67
— paregorica 68
— ſedativa 69
Oleum anodynum 71
— laxativum ibidem
Pilulæ alterantes 73
— maiores Hoffmanni ibidem
Pilu-

pag.
Pilulæ KEYSERI 78
— pectorales 81
— polychreſtæ 82
— viscerales 85
Pulvis abſtergens 86
— aërophorus 87
— anapleroticus 89
— antacidus 90
— antemeticus 91
— antiſpasmodicus 92
— cardiacus 94
— catharticus 95
— dentifricius niger 96
— — ruber 97
— discutiens ibidem
— ecphracticus 99
— hæmagogus ibidem
— paregoricus 100
Pul-

pag.

Pulvis pectoralis 38

— antiſpasmodicus 102

— balſamicus 103

— roborans ibidem

— temperans 104

— purificans 105

— ſedativus 106

— ſtrumalis 107

Species diapnoicæ 109

— ſopientes ibidem

Spiritus Salis dulcis 110

— Vitrioli acidus 113

Sulphur Antimonii auratum ibidem

Tinctura lixivia 120

— vulneraria 121

Unguentum pſoricum 122

# CORRIGENDA.

| pag. | lin. | |
|---|---|---|
| 12 | 9 | *pro* cordem *lege* eosdem |
| ead. | 22 | *poſt* experimentis *pone* clinicis |
| 22 | 8 | *pro* hebdomatas *lege* hebdomadas |
| ead. | 20 | — inde *lege* inque |
| 23 | 2 | — temporantia *lege* temperantia |
| 27 | 1 | — *ſænctæ lege ſanctæ* |
| 28 | 5 | — ſpatula *lege* ſpathula |
| ead. | 13 | — temporans *lege* temperans |
| 30 | 8 | — immitatus *lege* imitatus *et pro* curratio-nis curationis |
| 33 | 4 | *poſt* cutaneos *pone*, quandoque per alvum |
| 35 | 20 | *pro* exigue *lege* exigua |
| 37 | 8 | — duas *lege* duæ |
| 38 | 5 | — LINCTUS *lege* PULVIS |
| 43 | 3 | — *conciliario lege Conſiliario* |
| 48 | 15 | — habendum *lege* habendus |

56 *poſt lin.* 3 *pone* Spir. Vitrioli acidi ſcrup. unum.

Reliqua typographi ſphalmata benignus Lector emendabit.

Elixir acidum. - pag 35

Sp: vini: acidi - Sp: Aether ni-
t:- gtt pert: aq: gtt X - XX
in aqua. ooo

in affect: hyster: hyst: spast: cum: c
- ut praedict

pag 42, Liq: Mundif: ad scab: tenerr,
Rp Aq: fent vel dastat. Hyd: corro:
gr XV — ℈i. ~~to~~ post horam aq:
vel saponaria

Mers solub seu tartar: laudat:
Mixt: analept: aq: Rubi id Elix: s

Vel: alterantes Mer: laudato
Rp Ext: Gly: ℥i. Spec: Dulcique ℈ij. Hyd:
gr: X. ~~to~~ ft Pil. 100 angle acs,
cap: ij vel iij bis ter in d: die.

Pulvis aerophorus Sodae ℈ij. Crys
tart ℈ij. Sacch: puris ℥ss tto
bene pulverizat.

Pulvis cardiacus - laudatur -
Rp. [illegible]: can. ℥v. Cr: tart ℥ij - R
gr iij - iv blei a carone vel [illegible]
gtt vj. - X to ft Pul. in vetro obt.
℥ss pro oov bis ter vel 4 die

Pulvis catthart: ℈i — ℈iv. ½ h.s
Rp. Rhei p. Jalapp p. Nitri puri Cr: tart

Pulv: pro Dentibus
Rx. Oss: Sep: ℥j. Gi Arab: ʒij Mastic
ʒj [illegible] ft Pulv: subtiliss: —
cum quo fricentur [illegible]
Pulv: Dentifricii.
Rx. Lac: Glob: rub: ℥ij Rad Ireos Flor ʒij
Boracis ʒj [illegible] Myrrh: [illegible] [illegible]
ft Pulv: [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

Linctus pect.
Rx Sp. Vit: acid ʒj [illegible] Ol. Amygd: d ℥ij
[illegible] [illegible] ℥ij —
[illegible] [illegible] [illegible] 3tiis

Alcohol [illegible] [illegible]: [illegible].
Rx [illegible] [illegible] [illegible] ʒvj [illegible] ℥ij.
ft [illegible] [illegible]